


ARISTOTELIS

DE ANIMA

LIBRI III.

RECENSUIT

ADOLFUS TORSTRIK.

PHIL. DOCT. GYMN. BREM. COLL.

BEROLINI

APUD WEIDMANNOS.

MDCCCLXII.

FRIDERICO ADOLFO TRENDELENBURG

VIRO CUM DE IPSA PHILOSOPHIA PROMOVENDA

TUM DE VIRIS IN PHILOSOPHIA CLARIS

RECTIUS ET INTELLEGENDIS ET AESTIMANDIS

PRAECLARE MERITO

HUNC LIBRUM

PIETATIS SUAE ET CARITATIS

MONUMENTUM ESSE VOLUIT

ADOLFUS TORSTRIK.

PRAEFATIO.

---

§ 1. Agitur de hujus editionis consilio.

Omne hujus editionis consilium atque ratio ea arte continetur quam criticam vulgo appellant. Nam quum ante aliquot annos in novam venissem de quorundam Aristotelis librorum fortunâ ac condicione sententiam, intellexi magnum eam sententiam habituram momentum ad rectius quam adhuc factum esset eos libros edendos. Quae autem mihi videor in ea re vidisse, sic possunt brevissime comprehendi:

fuerunt quondam quorundam librorum Aristotelis nomine inscriptorum duae recensiones.

his recensionibus etiamnum magnâ ex parte in libris scriptis servatis editores recentiores sic sunt usi ut ex duabus recensionibus aristoteleis tertiam contaminarent non aristoteleam.

in libris qui sunt de Animâ extant quaedam alterius recensionis particulae ita ab alterâ diversae ut non potuerint qui eos libros ediderunt alteram recensionem ad alteram traducere: quo facto alteram recensionem, quae mutilata est, prorsus neglexerunt.

ea est earum recensionum auctoritas ut ea quae mutilata est et neglecta aut eodem jure sit Aristoteli adscribenda quo vulgata aut vero meliore.

Haec omnia aut nunquam intellexissem, (quamquam quod ad Physica attinet diu jam habueram eam de duabus recensionibus suspicionem,) aut certe non tam apposite ad persuasionem sive meam sive aliorum possem demonstrare, nisi reliquias illas de quibus supra diximus, quum ante hos quatuor annos Parisios nos contulissemus, meis oculis vidissem. Incredibile enim est quanto magis credamus oculis quam auribus. Non ignorabam Trendelenburgium narrare libri secundi de Animâ exitum in codice *E* repeti a manu antiquâ: similia de ejusdem libri initio Bekkerum: variam lectionem duorum ejusdem codicis foliorum esse exscriptam a Bussemakero: haec non ignorabam, nec tamen ea me multum moverant, ac mox plane oblitus eram: quod idem nonnullis ex iis qui haec legent accidisse credo. Ubi vero primum egregium illum librum *E* manibus tractavi, oculis inspexi, rei evidentia adeo animum percussit ut statim ad Trendelenburgium literas darem: inventas esse a me reliquias alterius recensionis libri de Animâ secundi,*) eamque recensionem esse vulgatâ antiquiorem. Respondit mihi vir clarissimus sibi placuisse quae misissem, (transscripta enim addideramus literis nostris quae a nobis erant inventa,) eaque in mentem sibi revocasse quae in Leibnitzii schedis ipse vidisset, audiisset vero similia de Kantio: easdem quasdam res non semel sed bis aut ter aut etiam plûries ab his viris esse tractatas ac retractatas: monuit tamen, qua est gravitate ac prudentia, ne rei novitate abripi me paterer: diligenter esse quaerendum ad ipsumne

---

*) Dico has alterius recensionis reliquias esse a me inventas: quamquam non ignoro eas lacinias visas esse a multis, a Bekkero vero etiam exscriptam esse primi fragmenti variantem lectionem, a Trendelenburgio secundi, quarti et quinti a Bussemakero (in Praefatione editionis Didotianae). Inventae igitur hae reliquiae sunt a me non ἁπλῶς, sed ἔστιν ὥς: viderant multi, alteram ac diversam esse recensionem nullus intellexerat. Dicimus vero nos Titum invenisse, si hunc hominem, quem alii videre poterant et viderunt etiam ante nos, invenimus esse Titum.

Aristotelem an ad editorem antiquum sane sed Aristotele recentiorem referenda esset altera ex iis recensionibus.

Domum reversus iterum me ad Naturalem Auscultationem contuli: ei enim aliquot jam annis operam dederam ejusque gratiâ Parisios profectus fueram. Quae inveneram Parisiis, ea sperabam fore ut vel in Museo Rhenano vel in aliis similibus commentariis, additis iis quae haberem ad illa illustranda, publici juris facerem. Sed majoris quam speraveram ea res molis erat nec quae eo tempore quod Naturalis Auscultatio mihi reliquum faceret posset absolvi. Nunquam cogitaveram ipsum me aliquando librorum psychologicorum extiturum editorem: quod tamen negotium vix posse defugi mox intellexi. Principio admodum id aegre tuli: etenim non tantum distrahebar ab alio opere incepto, verum etiam verendum erat ne ab hominibus doctis arrogantiae insimularer, qui edendis post Trendelenburgium libris psychologicis viderer mihi meliora posse praestare quam praestitisset ille: verendum etiam erat ne cui viderer esse male sedulus et qui, quod ajunt, γλαῦκας εἰς Ἀθήνας. Quamquam neutrum vere dici posse existimo. Arrogantiae enim crimen, quum ea in opinione sita sit quam de se quisque habet, purgare nolo nisi apud ipsum Trendelenburgium: is enim novit quum meam erga se voluntatem tum vero gratum ac reverentem animum. Qui quidem animus communis mihi est cum omnibus iis qui his studiis operam dant. Quotus enim quisque invenitur qui, si in Aristotele intelligendo sibi videatur aliquid profecisse, non confiteatur libenter sese eam rem magna vel etiam maxima ex parte illius viri sive scholis sive libris debere. Deinde vero confido facile intellectum iri hunc nostrum libellum non esse editum ut quidquam abrogaretur ei editioni quam ille ante hos undetriginta annos confecit, sed ut, si fieri posset, compleretur. Sunt enim duae res in quibus pari studio Trendelenburgius elaboravit: critica textus emendatio et rerum verborumque explanatio ex ipso Aristotele

petita. Ex his rebus alteram non tetigimus, dico autem interpretationem: ut qui bene accurateque hos de Animâ libros intelligere velit, is Trendelenburgianâ editione carere non possit. Quodsi cui videbimur et ipsi dixisse quaedam quae ad Aristotelis verba recte intelligenda aliquid conferrent, ea is scito κατὰ συμβεβηκός a nobis dicta esse. Quaerebamus enim quid quoque apud Aristotelem loco scribendum esset: quae res quum haud raro ab interpretatione penderet, facere non potuimus quin illam interpretandi provinciam, quam universam detrectaramus, susciperemus ex parte. Haud minora quam in interpretatione Trendelenburgium in re criticâ effecisse censeo. Magna ante illum praestiterat Imm. Bekkerus: quae is aut noluerat aut non potuerat, efficere conatus est Trendelenburgius, felicissimo in plerisque successu: quae res tanto pluris aestimanda est quod, quo tempore Tr. scripsit, nulla erant Hermanni Bonitzii Metaphysica, nullum Theodori Waitzii Organon, nullae tot aliorum virorum atque egregiae de Aristotele operae ac labores. Primum enim ille accuratam cujusque loci interpretationem tanquam regulam posuit et normam ex qua dijudicaret quid quoque loco esset scribendum: deinde vero nova sibi subsidia reperit quum veteres editiones tum graecos commentarios et παραφράσεις: de qua re ipse luculenter in Praefatione. Hac via quum aliquanto longius existimarem procedi posse, quidquid fuit et temporis et virium per quatuor hos annos in Psychologiam contuli, idque eo libentius quod post inventas illas alterius editionis reliquias universam rem criticam intelligebam novum nactam esse ac solidissimum fundamentum. De qua re dicendum erit postquam demonstravero subsidia quibus in hac editione adornandâ usus sum.

In primis numerandus est ipse Aristoteles. Nam quum et in sententiis et in elocutione tantum sibi constet Aristoteles quantum omnes scimus, ab eo qui librum quempiam Aristotelis editurus est, ne vel in approbandis vel in recu-

sandis verbis vadis et syrtibus illidatur, jure postules ut universum philosophi regnum perlustraverit et cognitum perspectumque habeat: aut, si id hominum vires οἷοι νῦν βροτοί εἰσι excedere videtur, ut per aliquot saltem annos in Aristotelis scriptis quasi vixerit et habitaverit. Et haec quidem verba non sine rubore scripsi: sentiebam enim quantum deesset. Attamen tacendum non est magno mihi fuisse usui quod per tres annos, antequam hoc edendae Psychologiae munus adirem, Naturalis Auscultationis novam editionem concinnaveram, quae magnâ ex parte absoluta in scriniis est. Hactenus de universâ Aristotelis et philosophandi et scribendi ratione. Deinde vero, quod Franciscus Baco dixit, verum esse indicem sui et falsi, id recte esse dictum in nullo facile scriptore sic experiere ut in Aristotele. Tam severe enim apud Aristotelem omnia ad artis syllogisticae leges sunt exacta, cujus ille et inventor extitit et summus artifex, ut, si quis velit ἀναλύειν et resolvere ea quae apud Aristotelem scripta inveniat, is pro certo plerumque dicere possit num quidque scribi potuerit ab Aristotele atque ita scribi. Eadem res utilissima est ad conjecturam faciendam de eo quod in locis depravatis aut mutilis scriptum fuerit. Quamquam in locis depravatis hac cautione opus est: quid non potuerit scribi ab Aristotele, saepe pro certo dici potest atque etiam demonstrari, quid scriptum fuerit, multo rarius. Quam ob causam hanc nobis legem imposuimus ut nunquam quidquam in scripturâ traditâ mutaremus nisi addicentibus aut libris aliquibus scriptis aut interprete vetere graeco, si certum esset eum non sua sed Aristotelis verba afferre, aut, id quod duobus in locis factum est, si qua vetus editio verum servasset ex scriptis libris, qui nunc aut perditi sunt aut nondum collati, derivatum et traductum. Hanc regulam ita servavimus ut in tribus tantum vel quatuor locis, ubi res flagitabat, ab eâ recederemus: sed ne tum quidem deerant aut librorum scriptorum aut graecorum interpretum vestigia haud obscura. Ex veteribus editionibus, ubi opus

videbatur, contulimus Aldinam, Sylburgianam, Basileensem tertiam (anni 1550): nec tamen variantem earum lectionem in Annotationem Criticam recepimus, ne nimia eam mole oneraremus, praesertim quum Aldinae et Sylburgianae discrepantia apud Trendelenburgium esset, omnes vero eae editiones eam codicum familiam repraesentarent quae deteriores complectitur: quorum satis multi sunt a Bekkero collati. Ex interpretibus graecis multi usûs fuit Themistius, qui et bonis usus est codicibus et presse Aristotelis vestigiis insistit, haud raro ita ut ne verbum quidem mutet. Ceterum qui interpretibus graecis recte uti vult, necesse est diligenter eos atque accurate legat et, si fieri potest, plus semel: ne falsâ specie deceptus pro Aristotelis verbis habeat quae illi interpretandi gratiâ dixerunt. Qua in re diligentem me fuisse affirmare possum. Quae ex Alexandri Ἀπορίαις καὶ Λύσεσιν huc pertinent, pauca sunt, optima ad interpretationem, ad rem criticam non ita magni momenti. Est tamen unus locus in quo posthabito codicum consensu Alexandrum secuti sumus. Simplicius videtur annis confectus fuisse quum suum in Psychologiam commentarium conscriberet: nam et ceteri ejus commentarii jam scripti erant fere omnes, (laudat enim,) et ipsum interpretandi genus quo in hac re utitur habet senile quiddam, ne dicam anile: tantopere a re propositâ discedit et nescio quo evagatur. Joannes Philoponus in omnibus sibi similis: ut dicere non possis meliorne an pejor hic ejus sit commentarius quam ceteri quos conscripsit. Philoponi et Simplicii ῥητά nullius sunt momenti: pertinent enim ad deterioris familiae codices: licebatque eos negligere uno excepto loco. Sed quum in Philoponi commentario passim natarent quaedam ῥητά antiquiora et librariorum errore cum ipsa interpretatione commixta, haec exscripsi et Φ ρ vocata in Annot. Crit. repraesentavi, duabus de causis: primum quod habent quaedam bona: deinde ne nocerent: possunt enim facile pro iis haberi quae ipse Philoponus apud Aristotelem legerit.

Sophoniae monachi paraphrasin (de qua vid. Trend. Praef. XV, not.) primus adhibui integram, et, sicuti in ceteris exegetis factum est, quaecunque ad rem criticam aliquod momentum habere videbantur diligenter excerpsi. Sophoniae codicem manu scriptum (Philologiae LIII, fol. papyri bombyc., seculi ut mihi videbatur decimi quarti) usui meo per tres menses permisit Bibliotheca Caesarea Aulica, eumque Vindobonâ Bremam mihi mittendum curavit: quae res quantae sit humanitatis sentient omnes, ego vero viris illustribus qui illi Bibliothecae praesunt gratias maximas et habeo et habebo semper. Versionem arabico-latinam (Jourdain, Specim. XX) quae cum Averrois Commentario edi solet (usus sum editione Juntinâ, Venet. 1550. fol.), item graeco-latinas tam quae antiqua vocari consuevit (Jourdain, Spec. XIX) quam quae ab Joanne Argyropulo confecta est, diligenter perscrutatus sum, ne series interrumperetur, nec tamen quidquam inveni memoriâ dignum: omnes enim hae versiones factae sunt e codicibus deterioris familiae, ut, qui Aldinam editionem latine vertat, eadem fere habeat quae illae praebent versiones. Averrois commentarius mirifice bonus est, ut Arabis, eo quoque nomine haud spernendus quod in tertio certe libro adhibiti ab eo sunt et Alexandri commentarius et Theophrasti ἐξέτασις. Ad intelligenda Aristotelis verba praeter Themistium et Trendelenburgium plurimum contulit Julius Pacius: is enim in commentariis quos quum de Naturali Auscultatione tum de Psychologiâ composuit conatus est Aristotelis verba ad severam artis syllogisticae formam revocare: egregio cum successu in Physicis et primo de Animâ libro, minore in ceteris, propterea quod de verbis traditis, rectene scripta sint necne, nunquam fere dubitat. Librorum scriptorum quos Imm. Bekkerus adhibuit discrepantiam, quae in editione Academiae Berolinensis invenitur, meam feci: codicum *E* et *S* variantem lectionem correxi e notis Bekkeri manu scriptis quae in Biblio-

thecâ Regiâ Berolinensi asservantur:*) ut, si qua in meâ Annotatione Criticâ de eorum librorum scripturâ alia traduntur quam quae in editione academicâ extant, non statim de meâ vel negligentiâ vel errore cogitandum sit. Codicem *E* quum post Bekkerum Trendelenburgius contulerit, post hunc Bussemakerus, quae quisque ab altero diversa legit diligenter distinxi. Doleo eum codicem non esse iterum a me collatum: nec otium erat nec de me horum librorum editore futuro tunc cogitabam. Attamen non ita multa sunt de quibus dubites. Codicis Parisiensis 2034, quem *P* vocat Trendelenburgius, qui eum contulit, (distinguendus vero est a *P* Bekkeri, h. e. Vaticano 1339,) scripturam variantem in tertio libro inserui Annotationi meae Criticae, propterea quod in eo libro codex *E* mancus est: ut in ceteris libris idem facerem non est necessarium visum, quia liber *P* cum reliquis ejusdem familiae fere conspirat: perscrutatus vero sum cunctam ejus libri scripturam. De reliquiis alterius secundi libri recensionis, quae in codice *E* continentur, jam dicetur.

§ 2. Agitur de reliquiarum alterius secundi libri recensionis fide et auctoritate.

Notum est omnium Aristotelis codicum longe praestantissimum esse eum quem *E* vocat Immanuel Bekkerus: est autem Parisiensis 1853: de quo videantur quae disseruit Trendelenburgius in Praefatione editionis suae, pag. VIII et XXIII—XLIII. In eo igitur codice qui sunt de Animâ libri duabus manibus scripti sunt, antiquissimis, elegantissimis, simillimis, sed duabus. Prior manus, quae eadem scripsit Naturalem Auscultationem, exaravit primum et tertium librum et quae e secundo libro reliqua sunt:

*) Egimus de ea re in Philologo, XII, 3. p. 494—530 et XIII, 1. p. 204—6.

altera manus exaravit alterum quendam librum secundum ab illis reliquiis diversum: hic, non ille qui principio infuit quique nunc mutilus est, posteriore tempore vulgatus est et in fratris minus fortunati locum successit.

De duabus manibus certa res est, nec mihi soli sed amicis quoque nonnullis eruditis quibus utor Parisiis. Si quis dubitat, conferat quaeso quarundam literarum formam, praecipue τοῦ ψῖ et τοῦ ὖ, qualem uterque scriba fingit: conferat quoque versuum numerum qui insunt singulis paginis: reperiet librum primum et tertium et secundi fragmenta tricenis octonis versibus esse scripta, librum secundum illum alterum, qui postmodum ei codici illatus est, quadragenis octonis.

Ratio autem fragmentorum haec est. Sunt omnino quinque numero. Primum est initium libri secundi, alterum exitus. Quo tempore haec secundi libri recensio ejecta est ex codice *E*, haec fragmenta non potuerunt non servari, propterea quod librarius post finitum librum primum (fol. 186 v°) in eâdem paginâ initium scripserat libri secundi, (decem illis versibus quos Imm. Bekkerus descripsit in Annot. Crit. 412[a] ad 3—4 et 6—12:) qua re accidit ut aut ambo ejicienda essent aut ambo servanda. Eandem ob causam, quum cetera removerentur, non potuit removeri exitus ejusdem libri secundi, quia in eodem folio quo ille scriptum erat initium libri tertii. Tertium fragmentum fere nullum est: nam post folium 187 excisum est folium ita ut initia versuum et verso folio exitus supersint.*) Denique duo integra folia extant, loco quidem mota suo: nam totius codicis, ut nunc est, prima sunt atque ante

*) Recisa supplevi diligenter computato literarum quae singulis versibus insunt numero maximo minimo medio. Suscepi eum laborem non vanâ curiositate motus, sed quod sperabam nonnihil inde utilitatis derivari posse: qua spe falsus non sum. Videantur quae commentati sumus ad 412 b 20. — Ceterum intelligitur hujus folii scripturam posse longiore intervallo a vulgatâ abfuisse quam supplementum abest, non posse abfuisse minore.

Naturalem Auscultationem posita. Videntur autem ea folia, ex quo tempore ejecta erat haec libri secundi recensio, tegumenti loco fuisse, ut splendidissimus liber minus facile corrumperetur.

Hac re demonstratâ quaerimus uter liber secundus genuinus sit, qui integer est et vulgatus, an mutilus ille. Ponamus ceteros Aristotelis codices interiisse omnes praeter hunc quem *E* vocamus: uter liber secundus pro genuino erit habendus? Nimirum ille qui mutilus est: ejusdem enim erit fidei atque primus liber et tertius, ut aut omnes rejiciendi sint aut nullus: is vero liber secundus qui postmodum alterius locum occupavit, (h. e. is qui vulgo legitur,) aut nullius erit fidei aut certe minoris. Quodsi ceteris codicibus atque interpretibus graecis advocatis demonstrari potest etiam alterum esse genuinum, eum dico qui vulgatus est, tutissimâ conclusione colligitur utrumque esse Aristotelis: idque verum esse censemus.

Huic argumento alterum addi potest quod viri docti qui antiquissimis temporibus codice *E* usi sunt non videntur dubitasse quin utraque libri secundi recensio esset Aristotelis. Primum enim, id quod jam Bekkerus monuit, a manu satis antiquâ initium secundi libri qui vulgo fertur adscriptum est in margine ejus recensionis quae nunc est mutila, addito γς ἀρχὴ τοῦ Β̄ λόγου ἐν ἄλλωι, eaque Bekkerus scripta esse dicit 'a manu earum quae scholia scripserunt antiquissima (Ravenn.)'. Ea vero manus ita diversa est a librariorum manibus ut mihi videatur hominis esse literati. Is igitur quum incidisset in librum secundum qui nobis vulgatus est, principio hunc in margine voluit scribere illius, postea, quum animadvertisset nimium fore negotium, curavit vulgatam in alias membranas describendam easque collocavit post librum tertium. Cujus rei deinde certiores fecit lectores: nam in parte dextrâ ab eâdem manu haec invenimus scripta: ζητητέον (si recte legi hoc vocabulum) τὸν περὶ ψυχῆς λόγον τὸν Β̄ παρὰ τὸν Γ̄ ὁλόκληρον·

ἀνόμοιος γὰρ κατὰ πολὺ ὁ ἐνταῦθα γεγραμμένος τοῦ ἐκεῖσε. (Alia manus et ipsa antiqua e regione tituli in parte dextrâ scripsit: ζήτει τὸ κείμενον ἔξωθεν . . . . ? . . . . τὸ γὰρ ἐνταῦθα γεγραμμένον ἀνόμοιον: in quibus incertum est etiam ultimum vocabulum.) Postea exulantem et extra operis corpus vagantem hunc librum (τὸ κείμενον ἔξωθεν) intra limen voluminis arcessiverunt ita ut is cum illo qui intus fuisset locum mutaret, exceptis iis foliis quae cum aliis non condemnatis cohaererent: quo facto facile fieri poterat ut reliquae ejus recensionis particulae perderentur. — Porro liber qui nunc est truncatus correctus est adhibito eo exemplari ex quo erat exscriptus: quam rem ἀντιβάλλειν veteres vocant: (correctus enim est, etsi non omnis, at certe in initio: conferantur reliquiae folii excisi:) eo vero negotio non librarii fungebantur sed homines docti. — Deinde per spatium temporis quod noluerim definire, per satis longum tamen tempus viri docti hoc sunt usi libro secundo: id quod colligitur e scholiis in folii excisi margine adscriptis, manu vero antiqua et ea. — Quibus ex rebus intelligitur hunc librum non solum consecutum esse civitatem aristoteleam, sed etiam beneficio civitatis esse usum, ejusque auctoritatem virorum doctorum judicio esse confirmatam.

Jam si quaeris num aliunde etiam quam ex solo codice *E* compertum habeamus de alterâ hac secundi libri recensione: initium certe, a verbis ἐπεὶ δὲ ad λόγος αὐτῆς (412ª 3—6), leguntur etiam in libris *SUWXm*. Facile vero intelligitur cur non plura. Hi enim libri omnes ejusdem sunt familiae. Quum igitur librarius codicis qui horum est archetypus incepto jam opere animadvertisset in eo libro quem repetebat duplicem extare librum secundum, (quemadmodum duplex quondam extitit et ex parte etiamnum extat in codice *E*,) post primos statim descriptos versus ab altero videtur ad alterum transiisse. Idem factum esse videmus in septimi Physicorum libri duplici recensione: quamquam ibi quidem minus simplex res

est. — Sed etiam alia sunt nonnulla in ceteris codicibus alterius recensionis vestigia. Nam post verba 416[a] 5. εἰ χρὴ τὰ ὄργανα λέγειν ἕτερα καὶ ταὐτὰ τοῖς ἔργοις editiones Aldina et Basileensis addunt haec: τὸ δ' αὐτὸ λέγω ὄργανον ᾧ ἂν ᾖ τὸ αὐτὸ ἔργον. Unde haec? nimirum ex alterâ recensione, cujus verba haec sunt (*E* fol. 1 v° 36): τὸ δὲ αὐτὸ δεῖ λέγειν ὄργανον ὧν ἂν ᾖ τὸ αὐτὸ ἔργον. Haec e libris scriptis in Aldinam leviter corrupta esse translata manifestum est. Accidit igitur ibi eadem res quam in tertio libro non semel esse factam suo loco demonstrabitur, ut eadem sententia bis poneretur, ac priore quidem loco ea sententiae forma quae posteriore tempore Aristoteli erat probata, quae vero priore tempore, ea loco posteriore. Paulo alia ratio est ejus loci qui legitur 420[a] 5: ibi enim alteri libri alteram sententiae formam praebent: de qua re ne ipsi bis idem dicamus, peto a lectore ut in Commentario Critico legat ultima quae commentati sumus de B VIII, § 4—6. 419[b] 25. ἠχὼ—420[a] 19. ἀέρα. Praeterea conferatur 421[b] 29. φράγμα] πῶμα *W*: quod πῶμα illuc ex alterâ recensione est traductum. Minus certum, sed quod probabiliter conjicias, hoc est: 418[a] 20. post ὄψει veteres editiones addunt haec: καθ' αὑτὰ μὲν οὖν ἐστὶν αἰσθητὰ ταῦτα: quae quum et apta sint et necessaria non sint, ex alterâ hujus libri recensione in Aldinam manasse arbitror.

Veteres interpretes graeci omnes vulgatâ usi sunt, ita tamen ut quibusdam altera recensio non fuerit ignota. Atque initium quidem libri omnes exegetae atque etiam Alexander ita interpretantur ut eos vulgatam legisse certum sit. Solus Philoponus 412[a] 9 legit ἔστι δ' ἡ μὲν ὕλη δυνάμει, hoc est alteram recensionem: vulgata enim δύναμις habet. Simplicius utrum δυνάμει legerit an δύναμις dubito: quod enim dicit οὐ δή που ὕλη δυνάμει ἐστίν, ἀλλ' οὐσία δυνάμει, id ita comparatum est ut possit ad commendandam lectionem δύναμις scriptum videri. Certiora dici possunt de Themistio: is enim 412[b] 12 (fol. 187 bis r° 28) non solum τοῦ

πελέκεως exemplo utitur sed insuper τοῦ πρίονος: illud adhibuit exemplum Aristoteles in vulgatâ editione, hoc in alterius editionis fragmento. Idem Themistius lacunam non invenit 412^b 20, quo in loco omnes vulgatae editionis codices quaedam verba omittunt, non omittit fragmentum tertium alterius recensionis. (Videantur quae ad hos locos a nobis in Commentario Critico dicta sunt.) Etiam Sophoniam alteram recensionem passim inspexisse mihi persuasum est: nam is quoque πρίονι utitur exemplo. Qua in re quamquam Sophonias potest videri Themistium secutus esse, complures ob causas id mihi minus probatur. Primum enim multo rarius quam Simplicius vel Philoponus a Themistio sua mutuatus est Sophonias. Deinde ne fingi quidem ratio potest cur exemplum Sophonias ab Aristotele propositum rejecerit. Porro si tam presse Sophonias in hac operis parte non Aristotelem sed Themistium esset secutus, qui fieri posset ut in eo loco qui hunc excipit (412^b 20) eandem Sophonias lacunam ostenderet quam libri Aristotelis vulgati, quum eam lacunam optime expleat Themistius? Tantum igitur abest ut in hac operis parte transscripserit Themistii interpretationem Sophonias ut ne legisse quidem videatur. — Quibus ex rebus colligitur et Themistium et Sophoniam utramque hujus libri recensionem ante oculos habuisse eosque ab initio utrâque esse usos, mox vero ad alteram, quae nobis vulgata est, interpretandam sese applicuisse.

Jam quae de mutilatae recensionis fide et auctoritate dicta sunt breviter colligamus.

Si solum codicem *E* spectas, major est auctoritas mutilati libri secundi quam integri.

Codex archetypus librorum *SUWX m* in libri secundi initio alteram repraesentavit recensionem.

Etiam in interiore libri parte codex *W* et is codex ex quo editio Aldina fluxit passim quaedam ex alterâ recensione receperunt.

Eandem Sophonias et (quod multo majoris est momenti) Themistius pro genuinâ agnoscit.

Si in rebus cognoscendis et dijudicandis certae sunt regulae, si non permittitur libidini sicne de quaque re sentias an aliter, denique ars critica si ulla est, haec ita comparata sunt ut de secundi libri reliquiarum fide et auctoritate dubitari non possit.

Eundem ad finem pervenitur si omissis et libris scriptis et testimoniis ipsam harum reliquiarum indolem spectas et rationem. Qua in re brevis esse possum, propterea quod ipsis illis reliquiis jam ante omnium oculos positis judicium quisque facere potest quid de internâ earum auctoritate et dignitate sit statuendum. Haec res quum ad demonstrationem parum fidei habeat, plurimum ad persuasionem, satis esto affirmasse nihil in illis reliquiis inesse quod non Aristotelis manum prodat. Manus enim Aristotelis ubique eadem est ac quam facillime agnoscat si quis ejus indolem et naturam penitus percepit: stilus est diversus, aut pro re nata, — quantum enim differunt Moralia, Politica, Rhetorica a Metaphysicis, Metaphysica a Naturali Auscultatione, — aut eo quod oratio plus minusve ad perfectionem et absolutionem accessit. Eadem res apud summos quosque in quoque genere artifices observatur, ut manus eadem sit, stilus diversus. Sic, si quis reliquias illas conferat cum integro libro, inveniet illic omnia esse paulo rudiora, horridiora, ἀρχαιοπρεπέστερα, nihil tamen quod aut ab re abhorreat aut ab ipsius scriptoris consuetudine. Jure igitur nostro hanc priorem vocamus editionem, integram illam posteriorem.

Quid vero si cum utrâque editione conferimus librum *S* et qui ejusdem sunt familiae?

Res sanequam mira est. Nam codex *S* ejusque affines inter priorem et posteriorem editionem medium quendam locum tenent, ita vero medium ut multo illi propius absint ab recentiore et perfectiore recensione quam ab eâ

quam rudiorem esse et antiquiorem demonstravimus. In secundo igitur de Animâ libro tres habemus recensiones. Sunt etiam codices quibusdam in locis ex secundo et tertio, item ex primo et altero utro genere mixti. Quae res jam accuratius sunt persequendae.

§ 3. De codicibus aristoteleis ad duas familias redigendis.

Paragrapho superiori demonstratum est praeter vulgatam libri secundi recensionem fuisse et ex parte etiamnum extare recensionem antiquiorem, quam A vocamus.

Deinde indicavimus etiam in iis codicibus qui posteriorem et vulgatam repraesentant recensionem (B) id observari discrimen ut, quum quidam ultimam Aristotelis manum praebeant, alii sint qui propius ad A accedant. Horum codicum scripturam in secundo libro, ubi A extat, B^a appello, illorum B^b.

Primum igitur eos exscribam locos (h. e. B^a) quos codex *S* ejusque similes habent communes cum A.

In quarto fragmento (414^b 13. δὲ χυμὸς—416^a 7. κωλύον):

	B^b	A et B^a
414^b	13. τι	om A et *SUVX.*
	29. τὰ κατὰ ψυχήν	τὰ περὶ τὴν ψυχήν A et *SUX.*
415^a	11. μόνῃ	μόνον A et *SUX.*
	17. ἢ τὸ αἰ.	ἢ τί τὸ αἰ. A et *S.*
	26. τῶν ἔργων	ἔργον A et *W.*
	28. αὐτομάτην	αὐτόματον A et *SUW.*
b	4. ταὐτὸ	τὸ αὐτὸ A et *SUX.*
	9. κατὰ	om A et *SUX.*
	11. ὡς ἡ οὐ.	ὡς οὐ. A et *UX.*
	15. δ' ὡς καὶ	δὲ καὶ ὡς A et *VW.*
	15. ἕνεκεν	ἕνεκα A et *STUVWX.*
	25. μετέχει ψυχῆς	ἔχον δὲ ψυχὴν A, ψυχὴν ἔχει *SUX.*

415ᵇ	26. τε	om A et *X*.
	26. αὔξεται	αὐξάνεται A et *TVX*.
	27. κοινωνεῖ	μετέχον A, μετέχει *W*.
416ᵃ	7. κωλύον	κωλύσει A, κωλῦσον *SUVW*.

Praeterea 415ᵇ 28. habet Bᵇ: τὴν αὔξησιν συμβαίνειν τοῖς φυτοῖς κάτω μὲν συρριζουμένοις διά: participium omittit A, ῥιζουμένων praebent *SUVWX*.

Videamus etiam de fragmento quinto (421ᵃ 5. ὅτι — 422ᵃ 23. ὧν τὸ):

	Bᵇ	A et Bᵃ
421ᵃ	6. μὲν οὖν	δὲ A et *UX*. om *S*.
	6. ἐστι	ἔσται A et *SUVX*.
	9. ὁ ψόφος ἢ τὸ χρῶμα	ὁ ψ. καὶ τὸ φῶς A, ὁ ψ. ἢ τὸ φῶς ἢ τὸ χρῶμα *TWX*.
	11. ὀσφραίνεται	δύναται αἰσθέσθαι A, αἰσθάνεται *SUVX*.
ᵇ	10. ὁμοίως δὲ καὶ ἔν. καὶ ἄν.	καὶ τὰ ἔν. καὶ τὰ ἄν. ὁμοίως A, ὁμοίως δὲ καὶ τὰ ἔν. καὶ τὰ ἄν. *SUVX*.
	29. φράγμα	πῶμα A et *W*.
	31. εὐθέως	εὐθὺς A et *SUVX*.
422ᵃ	7. αἰσθητήριον δυνάμει	αἰσθητήριον τὸ δυνάμει A et *SUX*.
	10. καὶ τὸ σῶμα δὲ	δὲ om A et *SUX*.
	17. χυμοῦ αἴσθησιν	αἴσθησιν χυμοῦ A et *SUV*.
	19. εὔτηκτον	τηκτὸν A et *SUX*.

In secundo fragmento, quod complectitur finem libri, ex eo genere haec observantur:

	Bᵇ	A et Bᵃ
423ᵇ	24. ὅπερ καὶ ἐπὶ	καὶ om A et *STUVWX*.
	28. αἳ	αἷς A et *SUVX*.
424ᵃ	2. θ. καὶ ψ.	θ. ἢ ψ. A et *SUW*.
	3. σκλ. καὶ μαλ.	σκλ. ἢ μαλ. A et *SUV*.
	21. χρυσὸς ἢ χαλκός	χαλκὸς ἢ χρυσός A et *X*.
	34. τι	om A et *SUX*.

424b 1. γὰρ — δὲ A et *U*.
6. ἡ ὀσμὴ ποιεῖ — ἡ om A et *SVX*.
7. ὑπ' ὀσμῆς — om A et *SUX*.

Ex his rebus nonnulla sane possunt casu accidisse: omnia esse fortuita ne credamus quum ipso numero vetamur tum vero quarundam similitudinum naturâ. Quam ob causam etiam in iis partibus secundi libri in quibus A non extat, ex tot variis ac fortuitis corruptelis quae in Annotatione Criticâ tanquam in nosocomio desperatorum*) asservantur, non dubitavi eas distinguere varias lectiones quae ad B^a viderentur pertinere. Qua in re sicubi falsus sum, id nisi post inventam reliquam partem recensionis A vix poterit demonstrari, ac ne tum quidem excusatione egebit.

Idem in primi libri Annotatione Criticâ faciendum erat: nam in eo libro idem observatur discrimen quod in secundi libri recensionibus B^a et B^b deprehendimus. Et in primo libro non tantum ad sermonem poliendum pertinent res mutatae, sed etiam ad ipsam philosophiam haud raro: de qua re quum in Commentario Critico satis sit dictum, eo lectorem revocamus. Ii vero loci hoc majoris sunt momenti quod ostendunt ab ipso Aristotele ex priore recensione posteriorem esse factam. Etenim quae ad solum perpoliendum scribendi genus pertinent, poterant sane ea etiam ab alio editore novari: quamquam quum secundi libri diversas recensiones ab ipso esse Aristotele profectas certissimis rationibus evicerimus, eandem rem in primo item libro esse factam, ut minimum dicam, verisimile est: quae vero philosophicam rationem subtilissime immutant, quis quaeso ea mutare nisi ipse Aristoteles aut potuerit aut ausus sit? aut, (illud enim parum est,) quis tandem voluerit? Nam antequam corrigas, necesse est sentias dictis aliquid deesse: in priore vero primi libri recensione omnia sic sunt

*) Hôpital des Incurables.

apte dicta ut nisi ipse auctor nemo quidquam desideret. Etenim longe alia est ratio quae ad enunciatum quodque auctori intercedit et lectori. Lector enim ab enunciato ad cogitatum pervenit: prius est illud et tempore et auctoritate: auctor vero, quippe in quo quondam δυνάμει fuerit cogitatum necdum verbis distinctum, ut cogitationi satisfaciat, a verbis postulat quorum ne in mentem quidem venit lectori, et reprehendit quae omnibus numeris absoluta videntur illi. Ut, si qua correcta ex eo sunt genere, necesse jam sit fateri ea ab ipso auctore esse mutata.

Quae disputavimus hactenus, ea versantur in re omnium oculis subjectâ. Jam vero aliquis a me poscat ut viam demonstrem qua duplex illa recensio ex Lyceo in scriptos nostros libros pervenerit. Qui vereor ne nimium me poscat: deest enim materia ex qua solida de hac re doctrina exstrui possit. Ut tamen curiosis aliquatenus satisfacerem, (modo meminerint jam conjecturis agi,) ne hunc quidem locum prorsus praetermittere volui.

Ac primum dicemus eam recensionem quam in secundo libro B^b appello, (cui in primo libro, in quo nulla est A, respondet simplex B,) rectius vocari ejus quam B^a (et in primo libro A) appellamus recognitionem: tam parvo intervallo haec ab illâ distat. Recensionum igitur nomen contrahendum erit ita ut solum librum secundum, qui geminus est, bis ab Aristotele scriptum esse dicamus: ex recensione B^a sic esse factam B^b arbitramur, (item in primo libro ex A ea quae est B,) ut inter legendum in eodem volumine correxerit Aristoteles quae corrigenda visa sint.

Deinde quaerendum est de codicum nostrorum stemmate. Recognitos libros duos priores et maxime perfectos repraesentat codex *E* (exceptis fragmentis illis recensionis A) et in primo libro ex interpretibus Sophonias. Recensionem minus perfectam praebent reliqui et codices et interpretes. Jam ponamus exempla minus perfectae recensionis esse edita ab Aristotele, ab iisque descendere nostros

codices excepto *E* omnes: item ab exemplari maxime expolitione distincto derivari codicem *E* (exceptis iterum fragmentis) et eum quo in primo libro usus est Sophonias: num sic potest omnium rerum quas in codicibus nostris observamus ratio reddi? Non potest. Primum enim in codicibus prioris recensionis, maxime in *WT*, multa inveniuntnr e codicibus limatioribus derivata. Deinde vero corrupta quaedam et mutilata, non multa quidem sed tamen aliqua, in utriusque recensionis extant codicibus. Quarum rerum neutra potuisset accidere si nulla fuisset per universum temporis decursum alteri familiae cum alterâ conjunctio atque commercium. Quid igitur? abjicienda jam est universa illa de duabus recensionibus doctrina? Minime vero. Nam principium est in omni disciplinâ τὸ ὅτι: de quo, si aliunde satis de eo constat, non est continuo dubitandum propterea quod nondum habemus τὸ διότι quo illud satis commode explanemus. Habeo tamen ad explicandas illas res rationem incertam quidem sed quae ut in re incertâ abunde sufficiat. Nam quod minus perfectae recensionis codices aliis locis alii quaedam ex limatiore genere sua fecerunt, qui id potest mirum videri siquidem non dico apud Aristotelem sed apud quemvis fere sive graecum sive latinum scriptorem constat quosdam codices esse diversis familiis quasi medios interjectos, propterea quod liber alterius familiae ex alterius familiae libro passim sit correctus atque emendatus? Quam rem ponamus in codicum *TW*... archetypis usu venisse: τὰ φαινόμενα πάντα συμβαίνει. Idem potest accidisse in ipso codice *E*, ut qui ejus est archetypus, quum is esset prioris recensionis, correctus sit sive ex codice emendato sive ex ipso Aristotelis autographo: idque multo quidem diligentius esse factum quam in *TW*... libris, sed tamen non in quoque vocabulo, sive propterea quod qui huic negotio praeerat hebetior fuerit oculorum vel mentis acie sive quod autographa quibusdam in locis erant humore et tineis corrupta, ὑπὲρ νοτίας καὶ σητῶν κακωθέντα,

ut vel necessario relinquenda essent quae in exemplaribus minus expolitis essent scripta. Sic facile fieri poterat ut in codice *E* non tantum ex eo genere quod emendare voluerat et emendaverat Aristoteles remanerent multa, sed etiam ad quaedam quae in priore scripturâ casu corrupta erant vel mutilata non adhiberetur medicina, quae in promptu erat.

Hactenus de duorum priorum librorum codicibus. Tertii libri codicum alia ratio est. Sunt enim eorum quoque codicum duae familiae, ea vero non ad duo exemplaria archetypa sed ad unum reducunt. Alterius familiae et melioris quidem codices sunt *EL*, alterius ceteri, ita ut *EL* sint inter se simillimi, ceteri inter se quidem minus similes, satis vero a duobus illis distincti. Non tamen hoc ita intelligendum est quasi *EL* ex eodem libro descripti sint, item ceteri ex uno libro, diverso ab illo, parente vero eorum omnium qui hujus sunt familiae: inaequali spatio plurimi vel etiam omnes ab archetypo suo libro distant. Sunt etiam codices quidam secundae familiae ex codicibus prioris familiae correcti vel ipsi vel, quod magis probo, quidam ex eorum parentibus. Nec id mirum est: quod enim in nostris codicibus, (exemplo sit ipse *E*,) factum videmus, ut multa a posteriore manu correcta sint idque ex codicibus nonnunquam minus bonis, id etiam in iis libris ex quibus nostri codices sunt descripti usu venisse par est.

Codicum descriptio a Trendelenburgio est petenda: nihil enim magnopere habeo quod addam. Itaque hic locus qui est de codicibus jam posset absolutus videri, nisi una esset res quam observatam vellem. Nonnunquam enim viri docti qui criticam exercent artem sic agunt ut dicant v. c. codicem *E* esse praestantissimum, nihil distinguentes in quonam libro. At hoc multum differt. Codex *V* deterioris notae est in prioribus libris, multo melior idem in tertio. Item praestantissimus ille *E* non in omnibus libris eandem habet auctoritatem: in tertio enim non ita multo

melior est codice *S*. Res certa est, ratio in promptu. Sed satis de codicibus.

Jam vero perventum est ad rem longe omnium gravissimam. Omnes tertii libri codices ex uno eodemque libro archetypo derivari supra dictum est. Is vero liber quodammodo Aristotelis fuit, quodammodo non fuit. Qualis enim nunc legitur tertius de Animâ liber non potest ab Aristotele scriptus esse: quamquam vix verbum inest quod non sit Aristotelis. Ne multa: fuerunt etiam tertii libri duae editiones aeque diversae ac secundi libri eae quae plurimum inter se distant. Eae igitur tertii libri editiones compluribus in locis ita sunt confusae ut post verba secundae editionis posita inveniantur prioris verba ea quibus eadem res tractatur: unde fit ut eadem bis legantur. Hoc non in omnibus ejus generis locis sed in uno vel altero jam ante hos sex annos suspicatus eram: sed quum tunc temporis multa essent in eo libro quae non satis intelligerem, ipse mihi diffidebam. Postea accidit ut in Physicis unum invenirem locum bis scriptum: quae res mihi in memoriam revocavit quae olim in tertio de Animâ libro mihi videbar observasse. Posteaquam vero consilium cepi horum librorum etiam post Trendelenburgium denuo edendorum, non poteram non redire ad illam quaestionem, verene bis scriptum idem legeretur in libro tertio an id minus intelligenti et quum adhuc novicius essem in his studiis perperam ita visum esset. Inveni verum esse: alios locos similes inventis addidi: et quotiescunque revertebar ad illos locos, persuasio animo concepta firmius atque firmius inhaesit. Confido idem legentibus esse eventurum eosque eo minus dubitaturos quo accuratius universum sententiarum aristotelearum nexum et quo quidque tendat perspectum habebunt. Qua in re ut eos adjuvarem, in Commentario Critico pro virili parte elaboravi.

Ac profecto vel iis qui Aristoteli non ita operam dederunt ut perlectis locis duplicibus ipsi statim intelligant

duplices esse, vel his spero me persuasurum rem non omni probabilitate destitutam esse. Secundi libri duas editiones manibus tenemus: quid obstat quominus tertii quoque libri fuerint? Ponamus fuisse quod nihil per se habet incommodi, vel, ut graece dicam, *τὸ ἐνδεχόμενον εἶναι.* Quam difficilis sit et obscurus liber tertius neminem fugit. Vir igitur quispiam doctus quum legeret secundam libri tertii editionem nunquamne inspexerit priorem? non speraverit se aliquanto melius intellecturum sententiam si diversis eandem modis legeret expressam? ubi prior editio aliquid peculiare videretur habere, eos locos non adscripserit in margine secundae? postea ubi id volumen transscripsit librarius diligens potius quam doctus, nonne eodem tenore descripserit locos geminos et *ἐκ παραλλήλου* positos? Nihil his inest quod mirere: imo mirarer si non esset factum. Quid quod in codice *E* rem simillimam ei quam modo tanquam veri similem posuimus factam esse oculis, non mente, cernimus: nam libri secundi principio in margine prioris editionis scriptam videmus secundam. Idem factum esto in libro tertio ita ut secundae editionis verbis adderentur passim verba editionis primae: nihil opus erat amplius.

Quod vero *διττογραφίαι* illae non sunt a quoquam observatae, id propter summam hujus libri obscuritatem crediderim accidisse: quam eandem ob causam tot loci manifesto depravati pro sanis ferebantur etiam nostrâ memoriâ. Nam de se quisque num recte intelligeret sententiam dubitabat potius quam de traditis verbis. Magna etiam est in his rebus consuetudinis vis ac potestas. Quae enim toties legimus ut paene memoriter teneamus, ea nobis solent videri extra omnem dubitationem esse posita. — Similis in alio genere erroris exemplum vix credibile adscribam infra.*)

---

*) W. A. Mozart, von Otto Jahn, vierter theil, seite 132, anm. 33. Im andante ist ein lange fortgepflanztes versehen durch Schumann richtig erkannt worden.... In beiden theilen sind je vier takte...., nur mit veränderter instrumentation, nach einander wiederholt, was ganz unerträg-

Quo tempore sic ex duabus editionibus una sit facta non potest definiri. Certum est nec Themistium nec Alexandrum alium legisse librum tertium quam qualem nos nunc habemus.

Porro si modum quaerimus quo modo posterioris editionis verba priori sint adjecta: semper id ita factum est ut post verba posterioris editionis interponerentur ea quae erant prioris editionis: ut his omissis sententiarum nexus sponte sua redeat. Non poterant certe tot locis verba a sententiarum serie aliena inseri quin multa ac gravia orerentur incommoda vel ignaro philosophiae homini conspicua. Diasceuasta igitur nescio quis quibusdam in locis conatus est sententiarum hiatus explere. Primum enim 426[a] 9. plurimi libri in repetito loco habent ὥσπερ γάρ: quod γάρ quum manifesto absurdum esset, *TW* codices ita mutaverunt ut καὶ ὥσπερ scriberent, *EL* vero conjunxerunt quodammodo ambas lectiones: scribunt enim ὥσπερ γὰρ καί. Gravior etiam est alter locus: nam quum 428[a] 19 et 22 loci paralleli ab ἀλλά inciperent, alterum ἀλλά quia in repetito loco nimis absurdum erat quidam codices ita correxerunt ut ἔτι scriberent, reliqui ut ἔτι εἴ. Porro in capite sexto, quod caput etiam omissis transpositis corruptis verbis omnium pessime est habitum, idem homo 430[b] 1. καὶ συντιθείς addidit, paulo post [b] 17. ἀλλ' ᾗ ἀδιαίρετα: ita refragante sententiâ ut turpes ille furti poenas non effugerit. In ceteris locis nihil est mutatum.

Potest quaeri quam ob causam locos geminos suo exemplari adscripserit qui id primus fecit. Cujus rei quum variae possint excogitari causae, ego crediderim obscurita-

---

lich ist, da so derselbe übergang von des-dur nach b-moll (ges-dur : as-moll) zweimal neben einander steht. Ein blick auf die originalpartitur (utinam id in Aristotele liceret!) macht die sache klar. Mozart hatte ursprünglich die vier takte 33—36 . . . geschrieben, dann auf ein nebenblatt, vielleicht zur erleichterung, die andere version hinzugefügt; durch irrthum sind nachher beide neben einander abgeschrieben.

tem maxime fuisse in causâ. Sine dubio obscuri et difficiles sunt hi loci: 425^a 21 sqq. 426^a 4 sqq. 426^b 20 sqq. 427^a 2 sqq. 427^a 11 sqq. 429^a 18 sqq. 430^a 27 sqq. 430^b 9 sqq. nec indigni erant qui priore editione adhibitâ illustrarentur. Alia est ratio eorum locorum qui supersunt. Nam 434^b 18. quum dubia sit lectio: aut enim legitur ὥσπερ ἁφή τις· τροφῆς γάρ ἐστιν, aut ὥσπερ ἁφή· τῆς τροφῆς γάρ ἐστιν: non aliam ob causam vir doctus videtur alterius editionis verba in margine scripsisse quam ut intelligeretur priorem lectionem esse veram: altera editio enim haec habet: ὥστε καὶ τὴν γεῦσιν ἀνάγκη ἁφήν εἶναί τινα. In ceteris locis alterius editionis verba ideo videntur adjecta esse quod pleniora essent.

Jam paulisper consistamus. In iis enim quae supra disputata sunt distinguamus necesse est res certas ab iis quae in opinatione sunt posita. Certum est in tertio libro passim additamenta quaedam esse inserta iisque sententiarum nexus perturbari. Cujus rei quum causam quaereremus, advocato secundi libri exemplo conjecimus (et ut mihi quidem videtur satis probabiliter conjecimus) ea additamenta antiquissimo tempore e priore hujus libri editione derivata in margine fuisse adscripta, deinde in ipsum tenorem esse recepta. Ut hoc falsum sit, illud verum manebit. Quodsi quis conjecturam meam impugnare volet, is argumento potest uti hoc:

'In capite septimo inveniuntur quaedam additamenta quae non possunt sic explicari ut ex priore editione in posteriorem sint illata: apparet enim universum hoc caput e diversis genere scidulis aristoteleis esse conglutinatum. Quodsi haec quidem additamenta *necesse est* ad hanc causam revoces, additamenta vero ea quae in ceteris capitibus observantur *possunt* revocari ad eandem causam, sequitur ut relictâ tuâ conjecturâ omnium eadem reddatur ratio.'

Sic aliquis ratiocinetur. Quae in Commentario Critico demonstravimus sic possunt breviter comprehendi.

Caput septimum constat ex his particulis:

A. 431^{a} 1. *τὸ* — 3. *γιγνόμενα.*
B. ^{a} 4. *φαίνεται* — 7. *τετελεσμένου.*
C. ^{a} 8. *τὸ μὲν* — 16. *διώκει.*
D. ^{a} 16. *διὸ* — 17. *ψυχή.*
E. ^{a} 17. *ὥσπερ* — 20. *πλείω.*
F. ^{a} 20. *τίνι* — ^{b} 1. *λευκόν.*
G. ^{b} 2. *τὰ μὲν* — 12. *καὶ τινί.*
H. ^{b} 12. *τὰ δὲ* — 16. *ἐκεῖνα.*
I. ^{b} 16. *ὅλως* — 17. *πράγματα.*
K. ^{b} 17. *ἆρα* — 19. *ὕστερον.*

Ex his particulis nihil cum re propositâ commune habent et sententiarum nexum dissolvunt particulae A B E F H: ne ad psychologiam quidem pertinere videtur A: ne enuntiatum quidem absolutum est in particulâ E: constructio graviter laborat in particulâ H, atque ita ut probabiliter restitui non possit. Praeter A omnes videntur esse aliorum psychologiae locorum primae adumbrationes. — Porro quae ad rem tractatam pertinent, in iis quoque particulis sunt quae mirere. Quod se facturum pollicetur Aristoteles in particulâ K, ei promisso in his libris non stetit. Quod in particulâ I vix indicatur, id diligenter tractatur statim in octavo capite. Particula denique D conclusio specie magis est quam re. Quae si quis simpliciter considerat, non poterit credere haec ab ipso Aristotele sic esse scripta. Editor igitur quisquis fuit hoc caput composuit ita ut quidquid in scidis Aristotelis inveniret quod videretur aliquo modo ad *νοῦν* pertinere, ea is conglutinaret.

Hactenus adversario quem induximus sumus opitulati. Vel id ei concedamus, posse eodem modo explicari ea additamenta quae ceteris in locis facta sunt quaeque *διττογραφίας* esse demonstravimus. Ponamus enim hujus libri editionem secundam nunquam fuisse perfectam: quibusdam

in locis ab ipso Aristotele in margine fuisse adscripta quae magis placerent quaeque in novâ quam parabat editione alterorum locum essent habitura: si illae de quibus ante dictum est laciniae, poterant sane etiam hae in textum recipi ab editore non satis acuto.

Haec omnia vera sint: attamen non sequitur ut diversa genere additamenta ad eandem causam sint referenda. Fateor septimi capitis additamenta ab editore ex Aristotelis scidulis esse corrasa: nihilo minus possunt quae in reliquis libri partibus ἐκ διττογραφίας sunt adjecta, etiam post editum librum ex priore editione esse adjuncta.

Proposui quaestionem, de qua videant viri docti. Quamquam vereor ne ea nunquam possit solvi, nisi in libris scriptis nova posthac inveniantur subsidia, vel integra reperiatur eximia illa Theophrasti ἐξέτασις.

Nobis satis est indicasse viam ad rectius et intelligenda Aristotelis verba et dijudicanda et quantum fieri potuit sananda. Qua in re si quidquam profecimus, quum ea non sit facilis, spero fore ut nonnullas quaestiones significatas magis quam solutas lectorum humanitas nobis condonet.

Scripsi Bremae Cal. Mart. anni salutis MDCCCLXII.

EPIMETRUM I.

DE ARISTOTELIS LIBRIS QUIBUSDAM PLUS SEMEL EDITIS.

Postquam de duabus Psychologiae editionibus satis est demonstratum, reliquum est ut quaeratur an in aliis quoque Aristotelis libris simile quid deprehendatur. Qua in re quum ad meam persuasionem satis, ad aliorum parum fortasse profecerim, satius visum est ut quae de quoque Aristotelis libro seorsim quaesiissem, ea premerem omnia, propositis perpaucis quibus ostenderem latius quam vulgo crederent duplex illud scribendi genus patere. Neque tamen velim hoc ita intelligi quasi nemo adhuc hanc de libris quibusdam Aristotelis plus semel editis habuerit suspicionem. Non poterat id non videre Leonardus Spengel quum de septimo Physicorum libro ageret. Idem observavit quaedam in Ethicis Nic. bis tractata hac ratione commode posse explicari. Metaphysicorum libri K priorem partem esse adumbrationem eorum quae postea in libris ΒΓΕ enucleatius ab Aristotele essent tractata nec Hermannum Bonitzium fugit nec ante eum viros doctos nonnullos. Accuratissime vero hanc de duplici Metaphysicorum editione quaestionem pervestigavit Guilelmus Christ v. d. cujus eximiam dissertationem*) et novis rebus diligenter excussis plenissimam negligi nolim a quoquam qui his studiis operam dat.

*) Studia in Aristotelis libros metaphysicos collata. Berol. 1853.

De Naturali Auscultatione quum alio loco accuratius disserere in animo sit, satis esto dixisse quatuor ejus distingui recensiones. Ex primâ recensione solus superest liber septimus, quem et ipsum dupliciter inveniri scriptum (A[a] et A[b]) sciunt qui non rudes sunt horum studiorum. Is igitur solus ex primâ recensione*) dignus visus est liber Physicorum editori qui posteritati traderetur: posuit vero ille eum inter VI et VIII, hoc est inter librum *περὶ κινήσεως* secundum et tertium, quasi tertii libri quandam prolusionem: multa enim continet theoremata quae in tertio libro recurrunt multo ibi quidem luculentius exposita. Nam sextum Physicorum librum octavo ita excipi ut nihil possit

*) Eam an nunquam absolverit Aristoteles dubitari potest adhibito Metaphysicorum libro *α τῷ ἐλάττονι*.

Aristotelis de Partibus

[Editio prior.]

§ 3. 406[a] 16. *εἰ*—22. *μετέχει.* Codex *E* praebet 18. *ὑπάρχει*, ceteri *ὑπάρξει.* Per se futurum in colligendâ conclusione recte ponitur ubi propositiones *ἐξ ὑποθέσεως* sumptae sunt, cf Bon. Obs. in Metaph. p. 62. Etiam in propositione negativâ quae ex positivâ efficitur, id quod hoc loco fit, futurum nihil per se habet quod offendat: *εἰ τὸ Α λευκόν*, aut *οὐκ ἔσται* aut *οὐκ ἂν εἴη οὐ λευκόν.* Sed tamen notum est ibi potissimum tale futurum poni ubi demonstratur quid ex adversarii propositione, si vera esset, foret ut consequeretur, et ad absurdum ubi adversarius deducitur. Haec re verâ hujus loci ratio est: sed absurdum quod ex ipsis Platonicorum verbis colligitur non hoc est, *οὐ κατὰ συμβεβηκὸς αὐτῇ τὸ κινεῖσθαι ὑπάρξει*, (id enim nihil habet quod non libenter concedant,) sed 21. demum legitur, *τῆς δὲ ψυχῆς ἔσται.* Igitur non prorsus incredibile est ab ipso Aristotele futurum mutatum esse in praesens, ne falsa species oriretur quasi illud esset absurdum ad quod fatendum adversarios vellet adducere. Nec tamen impetrare a me potui ut scriberem *ὑπάρχει*: habet enim aliquid minus urbanum atque invenustum. Plane similis res est [a] 14. *εἰ δὲ κινεῖται μὴ κατὰ συμβεβηκός, φύσει ἂν ὑπάρχοι κίνησις αὐτῇ*, et [b] 10. *ἀλλὰ μὴν καὶ εἰ κινεῖ γε αὐτὴ αὑτήν, καὶ αὐτὴ κινοῖτ' ἄν*: cur igitur non hoc quoque loco usus est optativo et voculâ *ἂν* si nolebat futurum ponere? Igitur tutius visum est in futuro acquiescere.

§ 4. 406[a] 22. Aut scribendum est *εἴ τι* aut certe intelligendum. Quae enim sequuntur ostendunt haec in universum dici, non de solâ animâ.

§ 6. 406[b] 3. In editione A videtur fuisse *εἰ δὲ τοῦτο, ἐνδέχοιτ' ἂν καὶ ἐξελθοῦσαν εἰσιέναι πάλιν*: videtur autem correxisse quia paulo ante usus erat formulâ eâ quae est *εἰ δὲ τοῦτο*, [a] 32.

§ 8. 406[b] 14. *εἰ* — 15. *αὑτήν.* Post *κινεῖ* Bekk. punctum posuerat, Trend. colon: minus recte, siquidem omnia ex *εἴ* suspensa sunt. — *Ἡ κίνησίς ἐστι τῆς οὐσίας τῆς ψυχῆς* significat *ἡ οὐσία τῆς ψυχῆς κινεῖται*: est sane haec motio *καθ' αὑτήν*, sed tales pleonasmos Aristoteles vitat. Non dubito quin *καθ' αὑτήν* sit interpretamentum in margine primum adjectum, deinde in Aristotelis verba illatum.

§ 13. 407[a] 6. *ὁ δὲ νοῦς εἷς καὶ συνεχὴς ὥσπερ καὶ ἡ νόησις.* Post *συνεχής* virgula ponebatur: id quod recte fieret si hoc diceret Ar.: et intellectus unus est et continuus et intellectio. Sed senten-

tia haec est: intellectus vero unus est et continuus eodem modo quo intellectio. Igitur et hoc loco et compluribus qui huic similes sunt distinctionem sustuli.

§ 13. 407ᵃ 10. *πῶς γὰρ δὴ καὶ νοήσει μέγεθος ὢν ὁτῳοῦν τῶν μορίων τῶν αὑτοῦ;* Sic Bekk. scripsit: quae esse mutila facile intelligitur. Quod Trendelenburgium secutus particulas disjunctivas *πότερον — ἤ* recepi, id nemo improbabit qui universam rationem hujus loci usque ad 19. *μεριστῷ* expenderit. Sed quod *καθόλου* scripsit vir doctissimus, sequi eum non potui. Agitur enim de tangendo: at *καθόλου θιγγάνει* pro eo quod est *ὅλος θιγγάνει* vel *καθ᾽ ὅλον τὸ μέγεθος θιγγάνει*, id ne graece quidem videtur dictum esse. Scripsi igitur *καθ᾽ ὅλον*,*) id quod et Simplicius et Philoponus in interpretatione non semel scribunt sed persaepe: videas ipsos: huc ex Simplicio haec sufficiat transtulisse: *ἢ καθ᾽ ὅλον ἑαυτὸ εἴσεται τὸ γνωστὸν ἢ κατά τι τῶν αὑτοῦ. καὶ εἰ καθ᾽ ὅλον . . .* — Superest ut dicamus de *θιγών*, quod addidimus. In his verbis de tangendo esse locutum Aristotelem liquido demonstrat altera pars dilemmatis, 15. *εἰ δ᾽ ἱκανὸν θιγεῖν ὁτῳοῦν τῶν μορίων*, cui respondet prior pars, quae bipartita est, 12. *εἰ μὲν οὖν κατὰ στιγμήν* et 14. *εἰ δὲ κατὰ μέγεθος.* At quî quaeso fieri potest ut ea sic suppleantur: *εἰ μὲν οὖν (νοεῖ) κατὰ στιγμὴν (θιγών)*? nam ne verbum quidem adhuc de tangendo dictum erat. In loco igitur manifesto mutilo non potui non addere verbum necessarium. Neque vero in hac re omni externâ auctoritate destituimur. De Simplicio et Sophonia dubito: Philoponum vero et Themistium legisse *θιγών* prope certum est. Themistii verba haec sunt: *ἢ γὰρ τῶν μορίων ἑκάστῳ θιγγάνων τὸ ὅλον νοήσει, ἢ οὐχ ἑκάστῳ μὲν τῶν μορίων, ὅλῃ δὲ τῇ τοῦ κύκλου περιφορᾷ, ἢ ἑκάστῳ μὲν τῶν μορίων τὰ μόρια, ὅλῳ δὲ τὸ ὅλον.* Sed haec dubitationem movent: potest enim videri Aristoteles non dilemma vulgare sed *τρίχα διειλημμένον* posuisse, sic ut ex Platonis sententiâ necesse sit aut totus orbis tangendo intelligat aut singulae ejus partes aut et totus et partes. Similia Simplicius, . . . *ἢ καὶ κατά τι τῶν ἑαυτοῦ ἕκαστον καὶ καθ᾽ ὅλον τὸ πᾶν· ὅπερ ὡς εὐλογώτερον πρῶτον ὑποτίθεται.* Suspiceris igitur plura excidisse, deinde damnum male resartum esse. Verum sive Simplicius illa ut pleniorem redderet demonstrationem de suo addidit: nihil moror: non raro id faciunt interpretes graeci: sive etiam in suo libro haec invenit, id quod affirmare Simplicius videtur: interpolatus fuit ejus liber. Nam si tertium illud membrum, (quod est: et totus et singulis partibus,) Aristoteles adjunxisset, non potuisset refutationis nomine addere quae legimus 18. *τίς ἐστιν ἡ τοῖς μορίοις θίξις;* nec *πῶς νοή-*

*) *Καθ᾽ ὅλον συνεχής* legitur de Part. An. *Δ* 12. 694ᵇ 5.

σει τὸ μεριστὸν ἀμερεῖ ἢ τὸ ἀμερὲς μεριστῷ; Obvia enim et parata erat ad haec Platoni responsio.

§ 14. 407ᵃ 18. *ἔτι δὲ πῶς νοήσει τὸ μεριστὸν ἀμερεῖ ἢ τὸ ἀμερὲς μεριστῷ;* Haec pertinent ad dilemma de quo ad 11. dictum est. Si totus orbis intelligit vel etiam partes magnitudinem habentes, quum eae continuae sint, non videtur orbis posse intelligere individuum et quod partibus careat: sin puncta, quae individua sunt, non intelliget continuum: similia enim similibus.

§ 14—15. 407ᵃ 19. *ἀναγκαῖον* — 22. [*νόησις.*] Hoc vocabulum cancellis circumscribendum fuit: est enim interpretamentum verborum *ἡ τοιαύτη περιφορά*, verum quidem illud sed quod propter *ἡ τοιαύτη*, quibus quae jam dicta sunt repetuntur, ferri non possit. Ut ostenderet hunc Platonis orbem (*τὸν κύκλον τοῦτον*) esse mentem, id quod diserte Plato nusquam dicit, (cf 3—5,) Aristoteles hanc ponit proportionem:

κύκλος: περιφορά = νοῦς: νόησις

Quodsi *ἡ νόησις* est *περιφορά τις*, sequitur ut *ὁ νοῦς* sit *κύκλος τις*. Qualis vero orbis? nimirum cujus motio talis, *ἡ τοιαύτη*, hoc est *νόησις*, est.

§ 15. 407ᵃ 22. *δή τί.* Interrogationem esse et ipsa sententia ostendit et Philoponus Simpliciusque: quorum ille *ἐρωτᾷ οὖν τί ἀεὶ νοήσει;* hic *τί οὖν τοῦτό ἐστιν;* Legebatur *δή τι.*

§ 15. 407ᵇ 26. *αἱ μὲν οὖν ἀποδείξεις.* In editione A fuit *αἱ δ' ἀποδείξεις*: minus bene, siquidem partitionis alterum membrum (24. *αἱ θεωρητικαὶ νοήσεις*) iterum dividitur: aut enim demonstrationes sunt (*αἱ μὲν οὖν ἀποδείξεις*) aut definitiones (30. *οἱ δ' ὁρισμοί*).

§ 15. 407ᵃ 27. *εἰ δὲ μὴ περατοῦνται, ἀλλ' οὐκ ἀνακάμπτουσί γε πάλιν ἐπ' ἀρχήν, προσαναλαμβάνουσαι δ' ἀεὶ μέσον καὶ ἄκρον εὐθυποροῦσιν.* Ut de sententiâ constet, conferantur Anal. Post. *A* 22. 84ᵃ 36. *τῷ γὰρ ἐντὸς ἐμβάλλεσθαι ὅρον ἀλλ' οὐ τῷ προσλαμβάνεσθαι ἀποδείκνυται τὸ ἀποδεικνύμενον.* Eadem dicit cap. 23. 84ᵇ 33, ubi quod illic *προσλαμβάνεσθαι*, jam *ἐξωτέρω λαμβάνεσθαι.* Quae ne repugnare videantur iis quae in libro de Animâ dicit, tenendum est illic de unâ eademque demonstratione agi, nostro vero loco de serie complurium demonstrationum. In unâ demonstratione non adnectuntur novi termini, sed interjiciuntur. Nam ut demonstretur A dici de G, probatur E de G per medium F, et sic deinceps usque dum perveniatur ad AC: unde etiam AG. Sed in serie infinitâ diversarum demonstrationum probatur primum AC per medium B, deinde CE per medium D, et ita deinceps: unde intelligitur novos terminos et medios et ex altero genere extremos adscisci. Cf Anal. Post. *A* 12. 78ᵃ 14. *αὔξεται δ' οὐ διὰ τῶν μέσων, ἀλλὰ τῷ προσλαμβάνειν, οἷον τὸ A τοῦ B,*

τοῦτο δὲ τοῦ Γ, πάλιν τοῦτο τοῦ Δ, καὶ τοῦτ' εἰς ἄπειρον. Recte igitur Aristoteles *προσαναλαμβάνουσαι δ'* (*αἱ ἀποδείξεις*) *ἀεὶ μέσον καὶ ἄκρον εὐθυποροῦσιν*: quaeritur solummodo utrum recte ex solo codice *E* scripserimus *προσαναλαμβάνουσαι* nec vero, quod ceteri habent et scripti et impressi, *προσλαμβάνουσαι.* Ac profecto omnibus Analyticorum locis quos quidem inspexerim Ar. dicit *προσλ.*, non *προσαναλ.*, idemque videtur in nostrorum librorum editione A scripsisse. Sed optime correxit. In ceteris enim locis, si activo utitur, subjectum est homo demonstrans, *ὁ ἀποδεικνύων*, si passivo, auditur *ὑπὸ τοῦ ἀποδεικνύντος*: hoc nostro loco ipsae demonstrationes sunt subjectum, quae minus recte dicuntur adhibere vel adjicere, *προσλ.*, optime in se recipere vel sibi adsciscere vel assumere, *προσαναλαμβάνειν*, quae quasi in itinere suo invenerint, novos terminos medios et extremos. Videantur Indices Xenophontis ceterorumque rerum gestarum scriptorum s. v. *Ἀναλαμβάνειν.*

§ 18. 407ᵇ 1. *εἰ δ' ἐστὶν ἡ κίνησις αὐτῆς μὴ οὐσία* nec ex Aristotelis nec vero e communi Graecorum more esse dictum pro certo affirmari potest. Deinde ne verum quidem est, si motio non sit essentia alicujus rei, eam rem, si moveatur, vi moveri. Non est essentia hominis ut ambulet: nec tamen ideo vi ambulat homo cum ambulat. Themistium certum est negationem non legisse. — Emendatio hujus loci petenda est ex 406ᵇ 12. *ὥστ' εἰ πᾶσα κίνησις ἔκστασίς ἐστι τοῦ κινουμένου ᾗ κινεῖται, καὶ ἡ ψυχὴ ἐξίσταιτ' ἂν ἐκ τῆς οὐσίας, εἰ μὴ κατὰ συμβεβηκὸς αὑτὴν κινεῖ.* Ex Platonis sententiâ anima se ipsam movet, movetur autem non per accidens sed secundum essentiam suam, hoc est quatenus anima est. Id vero est suam ipsius essentiam deserere, *ἔκστασις τοῦ κινουμένου ᾗ κινεῖται.* Expetet igitur anima suum interitum, id quod *παρὰ φύσιν* est: *φύσει* enim omne quod est id agit ut conservet essentiam suam, non ut destruat. Hinc sequitur vel, ut minimum dicam, veri simile est Aristotelem scripsisse *εἰ δ' ἐστὶν ἡ κίνησις αὐτῆς ᾗ οὐσία*, ut sententia haec sit: si anima movetur non secundum locum vel qualitatem vel quantitatem sed quatenus essentia est, contra naturam movetur, *παρὰ φύσιν*: id vero est *βίαιον*: violentum non est *ῥᾴδιον*: quod non est facile, non est *μακάριον*: at Plato dicebat animae motionem beatam esse.

§ 21. 407ᵇ 10. *κύκλῳ ποιεῖν φέρεσθαι*, quod est editionis A, recte mutavit in *ποιεῖν κύκλῳ φέρεσθαι*, ne omnis vis sententiae in *κύκλῳ* consisteret: quae enim sequuntur, utrumque spectant singillatim et *τὸ φέρεσθαι* et *τὸ κύκλῳ.*

CAPUT QUARTUM.

§ 1. 407^b 27. *καὶ ἄλλη* — 29. *λόγοις*. Cur dixit *λόγους δεδωκυῖα*, non *λόγον*, quum illud apud atticos certe scriptores non videatur legi? an ut Platonicos designaret, quos 1050^b 35. *τοὺς ἐν τοῖς λόγοις* appellat? (cf Bon. ad h. l.) praesertim si de Phaedone agitur. — Themistius haec: *δεδωκυῖα δὲ λόγους καὶ ἐξητασμένη καὶ ἐν τοῖς κοινοῖς λόγοις καὶ ἐν τοῖς ἰδίοις*. Unde ille *καὶ ἐν ἰδίοις*? Num ex libris nostris exciderunt? poterant sane facile propter homoeoteleuton, *γιγνομένοις λόγΟΙΣ καὶ ἐν ἰδίΟΙΣ*. Quid quod codex *S* verba *γιγνομένοις λόγοις* sic concidit: *λεγομένοις*, latius paulo manante eodem genere corruptelae. Themistius paulo post, *πιθανότητα μὲν οὖν ὁ λόγος ἔχει, διελήλεγκται δὲ πολλαχοῦ καὶ ὑπ᾽ Ἀριστοτέλους καὶ ὑπὸ Πλάτωνος. καὶ γὰρ ὅτι τὸ μὲν πρῶτον τοῦ σώματος* (h. e. *ἡ ψυχὴ πρότερον τοῦ σώματος*) . . . *ἁρμονία δὲ ὕστερον· καὶ ὅτι τὸ μὲν ἄρχει καὶ ἐπιστατεῖ τῷ σώματι καὶ μάχεται πολλάκις, ἁρμονία δ᾽ οὐ μάχεται τοῖς ἡρμοσμένοις· καὶ ὅτι τὸ μᾶλλον καὶ ἧττον ἁρμονία μὲν δέχεται, ψυχὴ δ᾽ οὔ· καὶ ὡς ἁρμονία μὲν σωζομένη οὐ προσίεται ἀναρμοστίαν, ψυχὴ δὲ κακίαν προσίεται· καὶ ὅτι εἴπερ τοῦ σώματος ἡ ἀναρμοστία νόσος ἐστὶν ἢ αἶσχος ἢ ἀσθένεια, ἡ ἁρμονία τοῦ σώματος κάλλος ἂν εἴη καὶ ὑγίεια καὶ δύναμις ἀλλ᾽ οὐ ψυχή· ταῦτα μὲν ἅπαντα εἴρηται ὑπὸ τῶν φιλοσόφων ἐν ἄλλοις*. — Hoc certe fatendum videtur auctorem Eudemi dialogi haud inepte potuisse scribere: *λόγον δ᾽ ὥσπερ εὐθύνας δεδωκυῖα καὶ ἐν τοῖς ἐν κοινῷ γενομένοις λόγοις καὶ ἐν ἰδίοις*, h. e. tum in illis sermonibus quos Plato mecum (nam de AristotelePlatonico omnia nota sunt) et cetero discipulorum coetu instituere solebat et quorum summam in Phaedone consignavit, tum in eo dialogo quem ipse de animae immortalitate conscripsi. — Sed haec et audaciora sunt quam quibus vel minimum confidam neque videntur ullam necessitatem habere. Nam illud *καί* quod post *δεδωκυῖα* legitur potest significare: quae rationem reddidit etiam in iis sermonibus qui vulgo fieri solent. Deinde nullus apud Aristotelem locus invenitur quo significetur aliquis ex iis libris quos ad commune magis judicium popularemque intelligentiam accommodatos composuit. Denique, si scholae Platonis describuntur his verbis, *οἱ ἐν κοινῷ γενόμενοι λόγοι*, non satis concinne opponuntur iis *οἱ ἴδιοι λόγοι*: nam hi quoque in communi haud dubie fiebant. Quae quum ita sint, mihi persuasum est nec Themistium plura legisse quam quae hodieque apud Aristotelem extant et *τοὺς ἐν κοινῷ γιγνομένους λόγους* neque Phaedonem neque Eudemum significare dialogos sed eas disputationes quales homines elegantiores instituere solent.

§ 5. 408ª 5. *ἔτι δ' εἰ λέγομεν*: legebatur *λέγοιμεν.* Optativo hoc loco locus non est: est enim ipsius Aristotelis ceterorumque Graecorum sententia.

§ 6. 408ª 13. *ὁμοίως δὲ ἄτοπον καὶ τὸν λόγον τῆς μίξεως εἶναι τὴν ψυχήν.*] Quum prima hujus libelli folia jam essent absoluta, vitium inesse his verbis docuit me H. Bonitzius, Arist. Studien I, 97. not. 1, qui *τὸν* in *τὸ* mutatum vult: *τὸ λόγον τῆς μίξεως εἶναι.* Veri tamen similius est utrumque scripsisse Aristotelem, et *τὸ* et *τὸν*, sic: *τὸ τὸν λόγον τῆς μίξεως εἶναι*: idque peto a lectoribus ut in suo quisque exemplo rescribant. Adnotatio critica sic est corrigenda: *τὸ* om *ESTUWde.* || *τὸν* om *VX.* ||

§ 7—8. 408ª 18. *ἀπαιτήσειε*—29. *ἀπολειπούσης;* Parenthesin significavi, ut intelligeretur verba 29. *ὅτι — ψυχήν* non colligi ex iis quae in *παρεκβάσει* de Empedocle dicta sunt, sed ex eâ disputatione quam ante versum 18. legimus, sicut verba ª 30. *οὔτε κύκλῳ περιφέρεσθαι* ad caput praecedens referenda sunt. Si quis quaerit quid sit quod Aristotelem in hunc de Empedocle excursum detulerit: videtur Empedocles non dixisse quidem nec putasse animam esse proportionem elementorum mixtorum: (de hac enim opinione agitur:) sed quum de proportione elementorum mixtorum multa ille, de animâ vero nihil fere tradat quod quidem distinctum sit (cf de Gen. et Corr. *B* 6. 334ª 9—14.), jure Aristoteles in utramque partem disputans lacunam indicat quae apud Empedoclem observetur,*) demonstratque ex iis quae apud Emp. posita inveniuntur hanc de quâ agimus quaestionem non posse solvi, sive eandem dicas animam atque *τὸν λόγον τῆς μίξεως* sive diversam. — Quod 19. *αὐτῶν* legimus nullo praegresso substantivo, intelligendum est *τῶν μερῶν* vel quod 17. legitur *τῶν ἐκ τῶν στοιχείων μεμιγμένων.* Idem legitur 21. *τοῖς μέρεσιν*: hoc enim reduxi pro eo quod erat *μέλεσιν.* Qui *μέρεσιν* mutavit in *μέλεσιν,* homo ut mihi videtur haud indoctus, de Parmenidis fortasse versu cogitavit praepostere, qui versus a nostro laudatur Met. *Γ* 5. 1009ᵇ 24. At profecto non de artubus agitur neque artus Empedocles *λόγῳ τινί* genuerat, sed ea quae Aristoteles vocare solet *τὰ ὁμοιομερῆ.* Cf de Gen. et Corr. *Α* 1. 314ª 26—28. Ac diserte quidem videtur Empedocles de solis ossibus verba fecisse, eaque ratio ab Aristotele ad ceteras partes similares, (carnem, cetera,) esse traducta. Cf de Part. An. *Α* 1. 642ª 17 . . . . *ἀρχὴ γὰρ ἡ φύσις μᾶλλον τῆς ὕλης. ἐνιαχοῦ δέ που αὐτῇ καὶ Ἐμπεδοκλῆς περιπίπτει, ἀγόμενος ὑπ' αὐτῆς τῆς ἀληθείας, καὶ τὴν οὐσίαν καὶ τὴν φύσιν ἀναγκάζεται φάναι τὸν λόγον εἶναι, οἷον ὀστοῦν ἀποδιδοὺς τί ἐστιν· οὔτε γὰρ ἕν τι τῶν στοιχείων λέγει αὐτὸ οὔτε δύο ἢ τρία οὔτε πάντα,*

*) Cf Zell. Ph. d. Gr. I, p. 551 ed. secundae.

ἀλλὰ λόγον τῆς μίξεως αὐτῶν. δῆλον τοίνυν ὅτι καὶ ἡ σὰρξ τὸν αὐτὸν τρόπον ἐστὶν καὶ τῶν ἄλλων τῶν τοιούτων μορίων ἕκαστον. Videantur quoque quae de sanguine et carne apud Emp., et quam ea incerte dicta sint, v. 203—7 (215—19 Karst.) — Versu 23. *αὕτη* de amicitiâ esse dictum recte monuit Trendelenburgius. Verba 24. *εἰ*—26. *ζῴου* sic sunt intelligenda: si anima prorsus diversa est a proportione mixtionis, cur sublatâ mixtionis proportione ipsa anima tollitur? — Ex partibus similaribus unam nominavit carnem quia carni cum tactu intima est conjunctio, tactu vero sublato ipsum emoritur animal, 435ᵇ 4. Jam intelligitur cur servaverimus 26. *τῷ*. Simplicius quidem et Philoponus *τό* legerunt. Alexander, si Philopono fides, et *τό* novit et in aliis codicibus neutrum vocabulum videtur invenisse, siquidem Al. haec habet: *εἰ δ᾽ ἐστὶν ἕτερον ἡ ψυχὴ τῆς μίξεως, τί δή ποτε ἅμα τῷ σαρκὶ εἶναι ἀναιρεῖται* (int. *ἡ ψυχή*) *καὶ* (omisso *τῷ* vel *τὸ*) *τοῖς ἄλλοις μορίοις τοῦ ζῴου;* Rectius Themistius: *πάλιν γὰρ εἰ παντελῶς ἕτερον ἡ ψυχὴ τῆς μίξεως καὶ τῆς κράσεως, διὰ τί τούτων φθειρομένων φθείρεται εὐθὺς ἡ ψυχή; λυομένου γὰρ τοῦ λόγου τῆς σαρκὸς καὶ τῶν ἄλλων ἑκάστου τῶν τοιούτων, λύεται εὐθὺς καὶ ἡ ψυχή.* Sed proxima Them. non intellexit: pergit enim sic: *ἀλλὰ καὶ ἔμπαλιν ἀπορητέον· διὰ τί τῆς ψυχῆς ἀπολιπούσης φθείρεται καὶ ἡ κρᾶσις καὶ ἡ μῖξις, ἥν φησιν ἁρμονίαν τοῦ σώματος. εἰ γὰρ καὶ τῆς κράσεως φθειρομένης φθείρεται ἡ ψυχὴ καὶ τῆς ψυχῆς ἀπολιπούσης φθείρεται ἡ κρᾶσις, οὐ πόρρω ἂν εἴη ταῦτα ἀλλήλων.* Haec interpretatio ferri non potest primum propter verba 26. *πρὸς δὲ τούτοις*, quae demonstrant haec in eandem partem disputari ac superiora, deinde quia Themistius verborum 27. *εἴπερ μὴ ἕκαστον τῶν μορίων ψυχὴν ἔχει* nullam habet rationem. Verba 27. *τί ἐστιν ὃ φθείρεται* videntur corrupta esse: facilis enim et parata est responsio *ὁ λόγος τῆς μίξεως φθείρεται,* neque ullum apparet incommodum nec deducitur ad absurdum.

§ 11. 408ᵇ 9. Dubito utrum *ἢ τῷ τοῦτο ἴσως ἢ ἕτερόν τι* Aristoteles scripserit an *ἢ τῷ τοῦτο ἢ ἴσως ἕτερόν τι* an simile quid. Vulgata certe corrupta est.

§ 19. 409ᵃ 10. *δόξειε* — 15. *ὅτι ποσόν.*] Dubites quid sit 13. *ἐν αὐτῷ.* Nam ad *τὸ ποσόν* (13.) referri non potest, quia non hoc affirmat, secuturum esse ut moveatur *τὸ ποσόν*, (quod genus est punctorum,) sed ut ex ipsis punctis alia moveant alia moveantur. Quum *ἐν αὐτοῖς* ut videtur Simplicius habeat, *ἐν αὐταῖς* Sophonias et nisi fallor Themistius, hoc verum putaveris. Sed nihil mutandum est: significat enim *αὐτό* totum quod ex punctis (vel atomis) componitur, eo vocabuli *αὐτό* usu de quo diximus in scriptione quam inscripsimus Die authentica der Berliner ausgabe des Aristoteles, in

Philologo, t. XII, 3. p. 525—6: ex quâ huc transscribam locum qui legitur de Gen. et Corr. *A* 1. 314^a 21. *Δημόκριτος δὲ καὶ Λεύκιππος ἐκ σωμάτων ἀδιαιρέτων τἆλλα συγκεῖσθαί φασι, ταῦτα δ' ἄπειρα καὶ τὸ πλῆθος εἶναι καὶ τὰς μορφάς, αὐτὰ δὲ* (h. e. non corpuscula individua sed res ex iis compositae) *πρὸς αὑτὰ διαφέρειν τούτοις ἐξ ὧν εἰσὶ καὶ θέσει καὶ τάξει τούτων.* — Eodem tendit quod additur *ὥσπερ ἐν τῷ συνεχεῖ*: nam *αὐτό* quidem, quippe quod constet sive ex atomis sive ex punctis, non est continuum: *λέγω δ' εἶναι συνεχὲς ὅταν ταὐτὸ γένηται καὶ ἓν τὸ ἑκατέρου πέρας οἷς ἅπτονται*, Phys. *E* 3. 227^a 11. Res continua vero si ipsa se ipsam moveat, deprehendi in eâ partem quae moveat et partem quae moveatur demonstratum est Phys. *Θ* 5. 257^a 31 sqq. Dicit igitur Aristoteles in animâ xenocrateâ et corpore democriteo, quamquam non sint continua, idem usu venturum, ut in iis pars moveat pars moveatur, haud minus atque in continuo, *ὥσπερ ἐν τῷ συνεχεῖ.*

§ 22. 409^a 29. *τὰς στιγμὰς*] Legebatur *τὰς ψυχάς*, quod esse ex interpretatione ortum vel numerus prodit pluralis: nam in universâ hac Xenocratis refutatione singulari hujus vocabuli utitur, nec ulla causa erat cur ad pluralem transiret. Propositionem majorem Aristotelem tanquam omnibus notam omittit: Platonicos voluisse separari animam a corpore. Recte Sophonias: *ἔτι εἴπερ χωριστὴ ἡ ψυχή, πῶς οἷόν τε χωρίζεσθαι τὰς στιγμὰς καὶ ἀπολύεσθαι τῶν σωμάτων, ἃς δὴ ψυχὴν ὑπετίθεντο; οὐ γὰρ εἰς στιγμὰς τὰς στιγμὰς* (l. *γραμμὰς*) *διαιρήσομεν,* (*οὐ μέρη γὰρ αὐτῶν,*) *οὔτε εἰς γραμμὰς τὰ ἐπίπεδα.*

CAPUT QUINTUM.

Sine ullâ ratione novum hic caput incipiunt.

§ 1—3. 409^a 31. *συμβαίνει* — ^{b} 11. *ταύτας.* In his verba quae ^{b} 1. leguntur *ἴδιον τὸ ἄτοπον* spuria esse facile demonstrari potest. Aristoteles dicit Xenocrateis ex iis quae ponant duo gravissima incommoda oriri: unâ enim ex parte coguntur idem concedere quod ii qui animam tenue corpus esse dicunt, alterâ ex parte coguntur fateri animal eodem modo moveri ab animâ quo Democritus moveri vult, (*ὡς αὐτὴ κινεῖται*, cf 406^b 15—22). Haec leguntur 409^a 31—^{b} 1. *ψυχῆς.* Deinde demonstrat priorem partem: sicut illic, (si anima est tenue corpus,) eveniet ut duo corpora in uno eodemque spatio sint, ita Platonicis ut in uno puncto multa puncta. Haec leguntur ^{b} 1. *εἰ* — 7. *στιγμῶν.* Superest ut demonstretur altera pars, quae demonstratio legitur ^{b} 7. *συμβαίνει τε* — 11. *ταύτας.* Demonstrat vero, quemadmodum apud Democritum corpus moveatur eo quod animae globuli moveantur, eodem modo apud Xe-

nocratem fore ut corpus moveatur eo quod puncta moveantur. Hoc igitur est illud quod [b] 1. vocatur *ἴδιον ἄτοπον*: apparet vero minime esse proprium Xenocratis, sed cum Democrito commune: id quod etiam ipse statim initio dixerat [a] 32. *τῇ δ᾽ ὥσπερ Δημόκριτος κινεῖσθαί φησιν ὑπὸ τῆς ψυχῆς*. Jure igitur damnavimus *ἄτοπον* illud *ἴδιον τὸ ἄτοπον*, natum ex deficiente ut videbatur post *τῇ δέ* ([a]32.) infinitivo: qui tamen facile auditur: *τῇ δὲ* (*λέγειν κινεῖσθαι*) *ὥσπερ Δ. κινεῖσθαί φησιν ὑπὸ τῆς ψυχῆς*. — Sed post haec verba excidisse videtur *τὸ ζῷον*: cf [b]7. *κινεῖσθαι τὸ ζῷον ὑπὸ τοῦ ἀριθμοῦ*. [b] 11. *κινεῖν τὸ ζῷον τῷ κινεῖσθαι ταύτας*. Simili modo *τὸ σῶμα* additur 406[b] 15—22.—Porro [b] 5. videtur *καί* legendum, non *ἤ*: non enim alterum altero excluditur, sed res absurda absurdâ aliâ augetur. — Versu 6. editio A praebet *ἐν τῷ σώματι*, quod vix posset non referri ad solum corpus animatum. Jure igitur mutavit in *ἐν τοῖς σώμασιν*, ut diceret: in omnibus corporibus qualiacunque sunt.

§ 6. 410[a] 5. *τὼ δύο*. Numerus dualis generis feminini *τὰ δύο*, quae est vulgata, scribi non potest propter *μερέων*, nec *μοιρέων* potest, quod alii volunt, propter 6. *τέσσαρα*. Aut igitur cum Henrico Steinio (Emped. Fragm. v. 200) *δοίω* legendum aut, si id audacius factum videtur, *τὼ δύο*, praesertim quum optimi codices *τῶν* praebeant. Nam quod H. Steinius articulo ante *δύο* justam sedem esse negat, id vereor ne nimis severe judicatum sit. — In eandem conjecturam video Carolum Steinhartum incidisse: videantur ejus Symbolae Criticae. — Porro versu sexto *λευκὰ γένοντο* scripsi cum Steinio: perexiguam enim in talibus rebus esse codicum fidem atque auctoritatem nemo ignorat. Legebatur autem *λεύκ᾽ ἐγένοντο*.

§ 7. 410[a] 18. *ἢ*—21. *ποσόν*. Haec ita dicta sunt quasi repugnet *ἐκ τῶν τοῦ ποσοῦ στοιχείων οὐσίαν εἶναι καὶ μὴ ποσόν* his *ἔσται ἄρα ποσὸν καὶ ποιὸν καὶ οὐσία*: quod non repugnat. Repugnaret si anima *οὐσία* esset, *ποσόν* (ex adversariorum sententiâ) non esset. Neque vero refutatio in eo sita est quod anima futura sit *ποσόν*: debebat enim ita pergere: *ἀδύνατον δὲ ποσὸν εἶναι*. Contra ejectis iis verbis quae in suspicionem vocavi omnia recte procedunt. Volunt ex omnium generum elementis constare eam substantiam quae est anima. At quaedam ex his elementis quae ad fingendam substantiam adhibent non possunt substantiam efficere: aderunt igitur illa quidem *μάτην*: anima vero non erit substantia, siquidem ad eam substantiam quae est anima efficiendam et omnium generum elementa necessaria sunt nec vero ea omnia ita comparata sunt ut substantia ex iis fieri possit. Cf Met. *Z* 13. 1038[b] 23—29. *N* 2. 1088[b] 2—4. Phys. *Δ* 6. 189[a] 33.

§ 9. 410[a] 27. *πολλὰς* — 29. *λεχθέν*. Haec esse corrupta facile apparet. Lacuna infuit, quam male suppleverunt additis *μαρ-*

τυρεῖ τὸ νῦν λεχθέν, quasi praecederet *πολλὰς δ' ἀπορίας ἔχειν τὸ λέγειν*, non *ἔχοντος τοῦ λέγειν*. Accedit quod nova prorsus ratio additur, 30. *ὅσα γάρ ἐστιν κτἑ*, de quâ nondum dictum est. *Τὸ λεχθέν* vero non significare *τὸ λεχθησόμενον*, quamvis id velint interpretes graeci, nec licere *τὸ λεχθησόμενον* corrigere, id quod quidam faciunt libri scripti, non est quod dicam. Et structura et sententiarum nexus rite procederet si interpolator lacunam sic fere supplevisset: *πολλὰς δ' ἀπορίας .. ἔχοντος τοῦ λέγειν .. ὡς τοῖς σωματικοῖς στοιχείοις ἕκαστα γνωρίζεται καὶ τῷ ὁμοίῳ τὸ ὅμοιον, οὐχ ἥκιστα καὶ τόδε ἄτοπον· ὅσα γάρ ἐστιν κτἑ.* Ac vix dubitari potest quin tale quid ab Aristotele scriptum fuerit, quamquam ipsa verba non praestiterim. — Certior est medela alterius loci corrupti. Quid enim hoc est *ὡς τοῖς σωματικοῖς στοιχείοις ἕκαστα γνωρίζεται καὶ πρὸς τὸ ὅμοιον*? (Non advocanda sunt quae 416ᵇ 10. leguntur *ὥστε καὶ ἡ ψυχὴ πρὸς ἔμψυχόν ἐστιν*: alia enim ejus loci ratio.) Revocavi igitur in quo universus locus versatur *καὶ τῷ ὁμοίῳ τὸ ὅμοιον*: (cf etiam ᵇ 1. *ὥστε οὐδὲ τῶν ὁμοίων*:) idque nisi magnopere fallor Philoponus in suo libro invenit: interpretatur certe. Sophonias etiam ipsa verba affert: *πολλὰς οὖν ἀπορίας καὶ δυσχερείας ἔχοντος τοῦ λέγειν καθάπερ Ἐμπεδοκλῆς καὶ εἴ τις ἄλλος εἴρηκεν, ὡς τοῖς σωματικοῖς στοιχείοις ἕκαστα γνωρίζεται καὶ τῷ ὁμοίῳ τὸ ὅμοιον, καίπερ ἱκανῶς ἐληλεγμένου τοῖς φθάσασιν, ἔτι μαρτυρήσει καὶ τὰ ἑξῆς λεχθησόμενα. μάλιστα γὰρ ὅσα ἐστιν ἐν* — ᵇ2. *προσῆκεν.*

§ 10. 410ᵇ 4. *συμβαίνει*—7. *ἕκαστον.* De voce *συμβαίνειν* haec Bon. (ad 989ᵃ 21.): ʽVerbum *συμβαίνειν*, quod significat concludendi ex propositionibus quibusdam necessitatem, (Anal. Pr. *A* 1. 24ᵃ 19, Trendel. de An. p. 191.) saepe usurpat Aristoteles ad significandas eas difficultates et repugnantias ad quas in redarguendo adigit alios philosophos, factis ex eorum doctrinâ conclusionibus, cf. ᵇ 1. 16. 990ᵇ 19. *B* 2. 998ᵃ 9. 17. al. Breier Anaxag. p. 29.ʼ Similis est vis et usus futuri condicionalis (de quo post alios luculenter disputavit idem Bon. in Obs. ad Met. p. 62). Qua de causâ recte sine dubio scribere poterat Ar. ᵇ 6. *γνωριεῖ*: nisi forte ipse Emp. aperte dixit deum non nosse discordiam. Quod si dixisset, per se id quidem minime esset absurdum: cur enim non dicat poeta, ut hoc utar exemplo, Christum non nosse peccatum, pro eo quod est nihil Christo cum peccato esse commune. Ut vero Empedoclem credam id non dixisse,*) eo adducor quod in loco simillimo Ar. manifesto eandem rem ex Empedoclis verbis colligendo efficit, non tanquam ab eo dictam narrat: id quod certe non fecisset Ar., quâ est in philosophis refutandis severitate, si ipse Emp. apertis verbis

---

*) Cf Zell. Ph. d. Gr. I, p. 554. n. 1.

idem affirmasset. Legimus enim Met. *B* 4. 1000^b 3—6. *διὸ καὶ συμβαίνει αὐτῷ τὸν εὐδαιμονέστατον θεὸν ἧττον φρόνιμον εἶναι τῶν ἄλλων· οὐ γὰρ γνωρίζει τὰ στοιχεῖα πάντα· τὸ γὰρ νεῖκος οὐκ ἔχει,* (cf Emp. v. 175. *τῶν δὲ συνερχομένων ἐξ ἔσχατον ἵστατο Νεῖκος*) *ἡ δὲ γνῶσις τοῦ ὁμοίου τῷ ὁμοίῳ.* Hujus loci ratio adeo nostro est similis atque eadem ut aut in utroque *γνωριεῖ* scribendum sit aut in neutro. At Metaphysicorum libri praesens tempus non variant, in Psychologiae loco codex *E,* quem ultimam repraesentare Aristotelis manum diximus, *γνωρίζει* praebet. Unde sequitur ut hoc recipiendum sit. Reliquum est ut causa quaeratur cur Ar. in retractando hoc libro expuncto futuro praesens scripserit tempus. Quae res facillime ex Metaphysicorum loco intelligitur. Nam post *συμβαίνει* si *γνωριεῖ* scribitur, qui ea legit non poterit non arbitrari hoc *γνωριεῖ* esse absurdum illud quod se ex Empedoclis verbis eliciturum Aristoteles per *συμβαίνει* vocabulum pollicitus est: quum non id sed *τὸν θεὸν εἶναι ἧττον φρόνιμον τῶν ἄλλων* (vel *ἀφρονέστατον*) sibi demonstrandum Ar. sumpserit. Optime igitur Aristoteles, ut erroris causam removeret, praesens tempus scripsit in Metaphysicis, eandemque ob causam, quum Psychologiam retractavit, futurum tempus expunxit. — Verba *ἐκ πάντων γὰρ ἕκαστον* non possunt esse Aristotelis. Qui ea margini sui libri illevit, de Anaxagora videtur somniasse. Debebat sic fere interpolator: *τὰ δὲ θνητὰ πάντα καὶ τοῦ νείκους μετέχει.* (Cf Met. *B* 4. 1000^a 28.) Empedoclem vero voluisse in unâquâque re mortali et singulâ, v. c. in hac aquâ vel in hoc aëre, omnia inesse elementa, id neque facit quidquam ad eam rem quae demonstranda est, modo discordia insit, nec aliunde notum est: quâ de causâ recte Zellerus (Philosophie der Griechen, I 510. ed. secundae): 'Sie (elementa) sind ferner der masse nach gleich, wenn sie auch in den einzeldingen nach den verschiedensten verhältnissen gemischt, und nicht alle in jedem enthalten sind.'

§ 13—14. 410^b 16. *πάντες*—27. *μιᾶς.* Ar. agit cum duobus generibus adversariorum et utrosque demonstrat non de omni animâ loqui, h. e. definitionem animae quam instituant non esse universalem, 18. *οὐ περὶ πάσης λέγουσι ψυχῆς.* Alteram sectam his verbis describit, 16. *οἱ διὰ τὸ γνωρίζειν καὶ αἰσθάνεσθαι τὰ ὄντα τὴν ψυχὴν ἐκ τῶν στοιχείων λέγοντες αὐτήν*, alteram sic, 17. *οἱ τὸ κινητικώτατον* (*λέγοντες αὐτήν*). Prioris sententiae refutationem orditur vocabulo 18. *οὔτε,* posterioris verbis 21. *ὁμοίως δέ.* Facilis est prior refutatio: est autem ejus sententiae quam loco posuit posteriore: omnis anima, si movet, loco movet: quaedam corpora animâ praedita non moventur loco: ergo non omnis anima movet. Alterius sectae adversarii sic concludebant: quidquid intellectu et sensu percipit res quae sunt eo percipit quod ipsum ex

elementis earundem rerum compositum est: anima intellectu et sensu percipit res quae sunt: ergo ex elementis rerum anima constat. Hunc syllogismum ita evertit Ar. ut demonstret terminum medium non posse sumi universaliter, h. e. falsum esse omnem animam sentire et intelligere. Excipit autem plantas primum, quae quum animâ sint praeditae non sentiant: deinde quasdam animantes intellectu carere. — Ex his quae adhuc disputavimus intelligitur verba 23. *φορᾶς οὐδέ* esse damnanda. Ut enim quam maxime immobiles sint plantae, non sequitur ut non omnis anima sentiat, nec motionis gratiâ ex elementis isti animam procreaverant. Porro ejicienda sunt verba 22. *τὸν νοῦν καὶ τὸ αἰσθητικόν.* Ponamus ea esse scripta ab Aristotele: adversariorum syllogismus sic se habebit: quidquid sentit et intelligit, id eo sentit et intelligit quod ex elementis rerum compositum est: intellectus et sensus intelligit et sentit: ergo intellectus et sensus ex elementis rerum compositus est. Taceo de ridiculâ hujus syllogismi *ταυτολογίᾳ*: sed quid est quod adversariis vitio vertit quod non de omni animâ loquantur? id profecto non potest objici nisi iis qui quum dicant se de omni animâ loqui non loquuntur de omni sed de quadam. At adversarii fatentur, si verba *τὸν νοῦν καὶ τὸ αἰσθητικόν* genuina sunt, se non de omni animâ loqui. Etiam absurdius est quod iis plantas et bruta animalia objicit: quasi non dicant illi diserte se de intellectivâ et sensitivâ animâ verba facere. Ergo verba illa necessario damnanda sunt, nisi forte quis credat Aristotelem summum artis logices et magistrum et artificem non ratiocinari sed alucinari. —

Demonstravit igitur Aristoteles adversarios non de omni animâ loqui. Jam sic pergit: *εἰ δέ τις καὶ ταῦτα παραχωρήσειε*: *ταῦτα* referendum est ad ea quae dicta sunt 21. *ὁμοίως*—24. *ἔχειν*, id quod ipse significat quum addat *καὶ θείη τὸν νοῦν μέρος τι τῆς ψυχῆς*, h. e. si quis det intellectum simpliciter cum omni animâ conjunctum esse, *ὁμοίως δὲ καὶ τὸ αἰσθητικόν*, ut adversarii, quantum ad hoc, universaliter et de omni animâ videri possint esse locuti, *οὐδ᾽ ἂν οὕτω λέγοιεν περὶ πάσης ψυχῆς*: sunt enim quaedam animae quibus praeter vim intellectivam et sensitivam aliae facultates insunt: id quod continuo sic explicat: *οὐδὲ περὶ ὅλης μιᾶς*, nec de totâ unâ. Sunt animae quibus *τὸ ὀρεκτικόν* inest, quae res ex istorum principiis non consequitur, quum ex elementis animam componant. Aut igitur non de omni animâ loquuntur, v. c. de humanâ, aut si humanam quoque complecti volunt, non loquuntur certe de totâ illâ, siquidem de eo quod est *τὸ ὀρεκτικόν* tacent. — Falsus esset si quis scriberet *οὐδὲ περὶ ὅλης οὐδεμιᾶς*: sunt enim animae de quibus universis loquantur: item si scriberet *οὐδὲ περὶ ὅλης οὐδὲ μιᾶς* vel *οὐδὲ περὶ ὅλης οὐδὲ περὶ μιᾶς*: cur enim non de unâ saltem etsi non totâ? Verba vero *οὐδὲ περὶ μιᾶς* ad

opprimendum Averroismum esse dicta, quod quosdam voluisse video, id mihi non persuadetur. Quis enim id intelligat? aut quî fieri potest ut haec: non loquuntur de unâ animâ, significent: non demonstrant omnes animas esse unam? — Qui illi sint quos hoc loco dicit animam et mentem idem esse voluisse, pro certo dici non potest: cf de Democrito 404^a 27. 405^a 9. de Anaxagorâ 404^b 1. 405^a 13. deinde propter *μετεμψύχωσιν* de Empedocle cogitari potest: Pythagoreos Met. *A* 5. 985^b 30. *τὸ δὲ τοιονδὶ ψυχὴ καὶ νοῦς* ipse ait eandem animae et mentis fecisse definitionem. — Quod legebatur 26. *καθόλου περὶ πάσης ψυχῆς*, vocem *καθόλου* cum nonnullis libris scriptis omittendum censui. Ut enim talis pleonasmus per se vehementer offendit apud Aristotelem, ita diu quaerenti mihi non contigit ut alterum ejus rei exemplum invenirem. Unus extat locus quem quis afferat Met. *B* 3. 999^a 20. *τοιοῦτον δέ τι παρὰ τὸ καθ᾽ ἕκαστον εἶναι διὰ τί ἄν τις ὑπολάβοι πλὴν ὅτι καθόλου κατηγορεῖται καὶ κατὰ πάντων;* Sed ejus loci propter *καί*, quod explicandi vim habet, alia est ratio: vid. de *καί* explicativo Waitz. ad 93^b 26. — Met. *E* 1. 1026^a 27. *ἡ δὲ καθόλου* subjectum est, de quo praedicatur *πασῶν κοινή*. — Simili modo *καθόλου* irrepsit Met. *A* 1. 981^a 6, ubi codices trajiciunt.

§ 19—21. 411^a 11. *ἐπιζητήσειε*—23. *παντός*. Primum haec verba, 11. *ἐπιζητήσειε*—13. *ἀθανατωτέρα*, significavimus parenthesin esse et quasi e superfluo addi: ita enim facilius intelligetur quae sequantur non ut haec refellantur adjungi sed ut redarguatur principalis adversariorum propositio 7. *ἐν τῷ ὅλῳ τὴν ψυχὴν μεμῖχθαι*. — Verba 16. *ὑπολαβεῖν κτἑ.* difficillima sunt: de quibus Themistius *ταύτης δὲ τῆς λέξεως* ait *ὅτι μὴ κατεκράτησαν οἱ πρὸ ἡμῶν, ῥᾴδιον συνιδεῖν τοῖς βουλομένοις*. Ipse hanc habet explicationem: *ὑπολαβεῖν δ᾽ ἐοίκασι τὴν ψυχὴν εἶναι ἐν ὅλοις τοῖς ἁπλοῖς σώμασιν, οἷον ἐν ὅλῳ τῷ ἀέρι καὶ ἐν ὅλῳ τῷ ὕδατι, ὅτι ἑώρων ἕκαστον τούτων τοῖς ἑαυτοῦ μορίοις ὁμοειδές. ὥστε εἴπερ τὸ ἐν ἡμῖν ὕδωρ ἔμψυχον, καὶ τὸ πᾶν ὕδωρ. ὥσπερ γὰρ τὰ μόρια τῶν ἁπλῶν σωμάτων ἐναπολαμβανόμενα τοῖς ζῴοις σύνθετα αὐτὰ ἐκ πάντων ποιεῖ, οὕτω καὶ τὰ μόρια τῆς ἑκάστου τῶν στοιχείων ψυχῆς ἔμψυχα αὐτὰ ἀπεργάζεται. ἆρ᾽ οὖν ὥσπερ τὸ σῶμα ὁμοειδὲς τοῦ ἀέρος τό τε ἐν ἡμῖν καὶ τὸ τοῦ ὅλου, οὕτω καὶ τῆς ψυχῆς τῆς ἐν τῷ ὅλῳ ἀέρι ὁμοειδὲς μόριον τὸ ἐν ἡμῖν; ἀλλὰ ὁμοειδὲς μὲν οὔ φασι· βελτίω γὰρ ἐκείνην καὶ ἀθανατωτέραν τιθέασιν. ἀνομοειδὲς δὲ εἴπερ εἴη, οὐκέτ᾽ ἂν αὐτοῖς ὁδῷ προβαίνοι τὸ εὔλογον τοῦ λόγου ᾧ ἠκολούθησαν, ὅτι διὰ τοῦτο ἔμψυχος ὁ ὅλος ἀὴρ ἐπειδὴ καὶ τὸ μόριον αὐτοῦ τὸ ἐν ἡμῖν. εἰ γὰρ ἄλλο μὲν ἐν τούτῳ εἶδος ψυχῆς ἄλλο δὲ ἐν ἐκείνῳ ἐστὶ καὶ τὸ μέν τι ὑπάρχει τῆς ψυχῆς εἶδος τῷ ἀέρι τῷ ἐν ἡμῖν τὸ δέ τι οὐκέτι ἀλλὰ τῷ ὅλῳ, ἢ οὖν*

οὐ ῥητέον τὴν μὲν ἐν τῷ ὅλῳ τῷ ἀέρι ἀθάνατον τὴν δὲ ἐν ἡμῖν οὐκέτι, ἢ οὐδεμία ἀνάγκη, ὅσον ἐκ τῶν παρ᾽ αὐτῶν λεγομένων, ἐπειδὴ τὰ ἐν ἡμῖν στοιχεῖα ἔχει ψυχήν, καὶ τὰ ἐν τῷ παντὶ στοιχεῖα ἔμψυχα εἶναι. Haec ratio speciem quandam haberet nisi duobus vocabulis usus esset Ar. quae nullo modo cum illâ possunt conciliari: sunt autem ea 21. *ἀνομοιομερής* et 23. *ὁμοιομερῆ*. Ad efficiendum *ἔλεγχον* Ar. non hoc utitur, qui est Themistii error, quod ex adversariorum sententiâ anima cum elementis permixta et confusa vincat virtute animas corporibus viventibus insitas iisque sit generosior. Imo propositionem quae in refutatione efficiendâ minor est tanquam ab omnibus concessam ne ponit quidem, animam nimirum humanam differre ab animâ ceterorum animalium, a plantae animâ utramque. Adversarii enim illi et ante Averroem Averroistae volebant unam esse numero animam eandemque in cunctis elementis et in corporibus mixtis et viventibus universis eamque *ἐν τῷ ὅλῳ μεμῖχθαι*, ut individuorum animae illius sint particulae, *μόρια*. Anima, ait, quae inest corporibus viventibus non est *ὁμοιομερής*: at debebat esse ut aliquam vim haberet adversariorum argumentum quod legimus 16 — 17. Igitur 18. *ὥστε ἀναγκαῖον αὐτοῖς λέγειν καὶ τὴν ψυχὴν ὁμοειδῆ τοῖς μορίοις* (h. e. *ὁμοιομερῆ*) *εἶναι* est absurdum illud ad quod detrudit eos qui unam numero universam animam dicunt. — In verbis 21. *τὸ μέν τι αὐτῆς ὑπάρξει δῆλον ὅτι τὸ δ᾽ οὐχ ὑπάρξει* turbat quod quum rei cardo vertatur in secundâ enunciati parte, *τὸ δ᾽ οὐχ ὑπάρξει*, haec ita dicta sunt ut omnis vis in primam cadat particulam, *τὸ μὲν τι αὐτῆς ὑπάρξει δῆλον ὅτι*. Quâ de causâ putaverim Aristotelem scripsisse *τὸ μέν τι αὐτῆς τὸ δ᾽ οὐχ ὑπάρξει*, structurâ pereleganti et quâ vocis mentisque vis in secundam partem trahatur: ad quam interpretandam in margine addiderint *ὑπάρξει δηλονότι*. Cf 421ᵇ 14—15. de Gen. et Corr. *B* 6. 333ᵇ 12. *ἀλλὰ μὴν οὐδ᾽ ἡ φιλία καὶ τὸ νεῖκος· συγκρίσεως γὰρ μόνον, τὸ δὲ διακρίσεως αἴτιον.* de Part. An. *Δ* 11. 692ᵃ 7. *οὐδὲν*—8. *κεφαλήν*. Met. *Α* 1. 981ᵇ 9. *καὶ διὰ τοῦτο τὴν τέχνην τῆς ἐμπειρίας οἰόμεθα μᾶλλον ἐπιστήμην εἶναι· δύνανται γάρ, οἱ δ᾽ οὐ δύνανται διδάσκειν*, et quem ad h. l. in partes vocat Bonitzius, Krügerum in Gr. Gr. § 50, 1. A. 12.

§ 23. 411ᵇ 2. *καὶ κινούμεθα*] desunt vulgatae, omissa in quibusdam libris propter homoeoteleuton ut videtur, *αἰσθανόμεθα, κινούμεθα*.

§ 24. 411ᵇ 5 et 6. In primâ recensione *ἄλλῳ* fuit. Sed nec calumniatus est Platonem quum *ἄλλο* corrigeret et conveniebat incommodum augere quaestionem jam moturo quid tandem diversas et dissipatas per corpus animae partes contineret.

§ 26. 411ᵇ 21. *γάρ*] Legebatur *γοῦν*, quod est primae recen-

sionis. *Γοῦν* dicitur ubi ex re minus notâ et quam conjecturâ magis quam scientiâ teneamus reditur ad rem certam et exploratam. At unam esse specie animam quae in utrâque parte ejusdem animantis viget haud dubium videtur Aristoteli: lege modo quae sequuntur 24. *ἀλλ' οὐδὲν ἧττον κτἑ*, coll. 413^b 16 sqq. Jure igitur *γάρ* posuit. Conferantur etiam de Partt. Ann. *Δ* 5. 682^a 1—8.

§ 26. 411^b 25. *ὁμοειδεῖς εἰσὶν ἀλλήλαις*] Legebatur *ὁμοειδῆ εἰσὶν ἀλλήλοις*: male, quia ipsae animae ejusdem generis sunt, non animae partes vel facultates: nam *τὸ ὀρεκτικόν* opinor ex alio genere est ac *τὸ αἰσθητικόν*, et cetera simili modo. Scripserunt ita propter genus neutrum quod sequitur, *χωριστὰ ὄντα*: id vero non est appositive dictum, sed accusativus est absolutus, sic, *ὡς τὰ μόρια τῆς ψυχῆς οὐ χωριστὰ ὄντα ἀλλήλων*, sicuti mox sequitur genitivus absolutus, *ὡς τῆς ὅλης ψυχῆς διαιρετῆς οὔσης*. Quaerat aliquis cur non priore quoque loco usus sit genitivo. An quia fieret ut propter *ἀλλήλων* e *χωριστῶν* suspenso constructio confunderetur. Porro si quis quaerit, si sint casus absoluti, cur non primo statim loco posuerit vocabulum *ὡς*, id quod fere fit: sic magis sentitur oppositio verborum *ἀλλήλων* et *τῆς ὅλης ψυχῆς*.

§ 27. 411^b 28. *ψυχὴ ἀρχή τις*] Legebatur *ἀρχὴ ψυχή τις*, pessumdato sensu. Aristoteles postquam demonstravit singulas animae facultates non separari sed totam esse in qualibet animam, significat commune omnium animarum et idem fundamentum, quae est anima nutritiva, cui fundamento in quibusdam quaedam, in aliis plures vel etiam omnes facultates superstructae sunt. Diligentius, quod illic quidem res postulabat, persecutus est hunc locum *B* 3.

LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

(§ 1.) ad fol. 186vo 29—30. Quum in libro tertio multi extent loci bis scripti ac semper locus geminus geminum excipiat nullo alio interjecto, idem hoc loco factum esse videmus. Monuisse enim sat est Aristotelem non sic potuisse scribere: *τὰ παραδεδομένα παρὰ τῶν ἄλλων ἐφ' ὅσον ἕκαστος ἀπεφήνατο τῶν πρότερον*. Scripsit igitur primum *ἐπεὶ δὲ τὰ παραδεδομένα περὶ ψυχῆς παρὰ τῶν ἄλλων εἴρηται σχεδόν*: deinde *ἐπεὶ δὲ τὰ παραδεδομένα περὶ ψυχῆς, ἐφ' ὅσον ἕκαστος ἀπεφήνατο τῶν πρότερον, εἴρηται σχεδόν*. Denique tertio, quum totum retractaret, scripsit quod solum antehac vulgatum erat *τὰ μὲν δὴ ὑπὸ τῶν πρότερον παραδεδομένα περὶ ψυχῆς εἰρήσθω*.

§ 1. 412^a 4. coll. fol. 186vo 31. Quaeritur num recte dictum sit *πάλιν δ' ὥσπερ ἐξ ὑπαρχῆς ἐπανίωμεν* et *νῦν ὥσπερ ἐξ ἀρ-*

χῆς πάλιν ἐπανίωμεν: videtur enim hoc subabsurdum esse, reverti ex initio. Unde aliquis conjiciat scribendum esse *ἐπίωμεν*, praesertim quum paulo infra in re simili codices discrepent: nam 413ᵃ 13. *πειρατέον πάλιν οὕτως ἐπελθεῖν*, in his codex *S* et Simplicius et Philoponus *ἐπανελθεῖν* habent. Sed primum monendum est non eodem modo se habere *ἐπιέναι* ad *ἐπανιέναι* quo *ἐπελθεῖν* ad *ἐπανελθεῖν*: nam *ἐπιέναι* (*τῷ λόγῳ*) omnino non dicitur quo sensu saepissime legimus *ἐπελθεῖν*, nisi forte apud infimae notae scriptores. Deinde vero minime absurdum est *ἐπανελθεῖν ἐξ ἀρχῆς*: significat enim ex digressione reverti ad rem propositam postquam primum reverteris ad id quod ejus rei investigandae initium esse vel principium cognovisti. Sic Plato in Parmenide, 142. B. *βούλει οὖν ἐπὶ τὴν ὑπόθεσιν πάλιν ἐξ ἀρχῆς ἐπανέλθωμεν, ἐάν τι ἡμῖν ἐπανιοῦσιν ἀλλοῖον φανῇ;* Sic etiam de araneâ Ar. in Hist. An. iota 39 . . . *πάλιν ὁρμᾷ* inquit *πρὸς τὴν θήραν, ἀκεσαμένη πρῶτον τὸ διερρωγός· ἐὰν δέ τι μεταξὺ ἐμπέσῃ, πρῶτον ἐπὶ τὸ μέσον* (quod est in rebus rotundis principium) *βαδίζει, κἀκεῖθεν ἐπανέρχεται πρὸς τὸ ἐμπεσὸν ὥσπερ ἀπ' ἀρχῆς.* Praeterea de Partt. Ann. *Δ* 5. 682ᵃ 30 sqq. — Conferatur etiam Waitz. ad 93ᵃ 16.

§ 4. 412ᵃ 16. *ἐπεὶ δ' ἐστὶ καὶ σῶμα τοιόνδε*] *Καί*, quod addidimus, cum *τοιόνδε* est conjungendum. Contracta haec sunt in editione Bᵇ, quum eorum loco codex *S* (h. e. Bᵃ) haec praebeat: *ἐπεὶ δ' ἐστὶ καὶ σῶμα καὶ τοιονδὶ τοῦτο*: eadem fuisse in editione A ex computato literarum numero intelligitur, fol. 187 bis r° 4.

(§ 6.) ad fol. 187 bis r° 15. *τοιοῦτον*] Fortasse fuit *τοῦτο*: certe huic loco scholion adscriptum est *τοῦτο φησὶ τὸ δυνάμει ζωὴν ἔχον.* Item fortasse *ὅπερ*, non *ὅ*: pergit enim sic eadem manus, quae antiqua est: *ὅπερ ἂν ᾖ ὀργανικόν· οὐ γὰρ ἡ πρώτη τοῦ πυρὸς ἐντελέχεια ψυχή· λέγω δὴ* (voluit *δὲ*) *ἡ θερμαντικὴ δύναμις· καίτοι καὶ τοῦτο φυσικόν ἐστι σῶμα· ἀλλ' ἐπεὶ οὐκ ὀργανικόν, οὐκ ἔστιν ἡ πρώτη αὐτοῦ ἐντελέχεια ψυχή· ὀργανικὸν δέ ἐστι τὸ ἔχον ὄργανα δι' ὧν αἱ κατὰ τὸ ζῆν ἐνέργειαι γίνονται.*

(§ 7.) ad fol. 187 bis r° 24. *ἐπεὶ πλεοναχῶς*] Quod in editione Bᵇ additur *λέγεται*, id computato literarum numero in editione A omittendum duxi: omittit etiam *S*, hoc est editio Bᵃ.

§ 8. 412ᵇ 12. *ἦν μὲν γὰρ*] *Μέν* in editione Bᵇ additum est propter *δέ* quod sequitur 15. Jure non posuit loco ceterum simillimo 18. *εἰ γὰρ ἦν*: ibi enim nullum additur *νῦν δέ.*

(§ 8.) ad fol. 187 bis r° 28. Hujus versûs primae literae quum sint *ονι*, dubium non est quin Ar. in editione A usus sit exemplo *πρίονι*, quum in editionibus Bᵃ et Bᵇ scripserit *πελέκει.* Item igitur *πρίων* scribendum fuit fol. 187 bis r° 27 et 29, et *πρίσις*

v° 4. *Πρίσις* legitur etiam 645^b 16—18 et aliis quibusdam locis. Si quis miratur mutatum exemplum: eadem res abservatur 641^a 9: ibi enim quum altera editio (*SU*) *τρύπανον ἢ σκέπαρνον* praebeat, altera (*EPY*) exhibet *πέλεκυν ἢ τρύπανον.* Ceterum nostro loco Themistius utroque exemplo utitur, Sophonias solo *πρίονι*, (qui tamen paulo post etiam securis mentionem facit,) Simplicius et Philoponus solo *πελέκει.*

§ 8. 412^b 15. *νῦν δ' ἐστὶ πέλεκυς.*] Ita libri omnes. Absurda esse facile intelligitur. Ponamus, ait Aristoteles, securim non arte esse factam sed naturâ: forma quâ securis est (*τὸ πελέκει εἶναι*) foret essentia ejus atque anima. Sed anima non est, quia non talis corporis (arte facti) essentia est anima sed corporis naturalis. — Haec et vera sunt et optime oratio procedit. Contra *νῦν δ' ἐστὶ πέλεκυς*, si quem sensum haberent, deberent significare *νῦν δ' οὐκ ἔστι σῶμα φυσικὸν ἀλλὰ πέλεκυς*, coll. 11—12: quamquam vel id durum esset, praesertim quum praecesserit 14. *οὐκ ἂν ἔτι πέλεκυς ἦν*, quae si excipiuntur his *νῦν δ' ἐστὶ πέλεκυς*, vix poterit lector haec enuntiata alterum ad alterum non referre: id quod, si fieret, absurdum foret. Sed ne ei quidem sententiae quam aliquem habere sensum supra diximus locus est: sequitur enim *γάρ*, hoc est ratio: ratio autem quae redditur, *οὐ γὰρ τοιούτου σώματος τὸ τί ἦν εἶναι καὶ ὁ λόγος ἡ ψυχή*, non demonstrat securim non esse corpus naturale, sed ejus formam non esse animam, *νῦν δ' οὐκ ἔστιν* (int. *ψυχὴ τοῦτο*, cf 13).

§ 9. 412^b 20. *ὁ δ' ὀφθαλμὸς ὕλη ὄψεως.* Haec mutila sunt. Oculus non est oculus nisi videns, ideoque substantia est oculus ex formâ et materiâ composita: ergo non est materia sola, *ὕλη ὄψεως.* Cf Meteor. *Δ* fin. 390^a 10—13. Accedit quod ipse dicit 413^a 2. pupillam corpori respondere, visum animae, animali oculum. Adjiciam tertiam rationem: fol. 178 bis r° versu trigesimo quinto numerus literarum longe inferior solito erit nisi restitueris verba *τὸ σύνολον τὸ δὲ σῶμα τοῦ ὀφθαλμοῦ.* Ceterum librario errandi causam fuisse vocem *ὀφθαλμ.*, quae in eodem versu bis posita erat, facile intelligitur.

CAPUT SECUNDUM.

(§ 2.) ad fol. 187 bis v° 28—29. Quum versus 28 in *φειν* exeat, id ex librarii errore esse ortum puto, qui [*τρο*]*φην* voluerit scribere. Non negaverim tamen *φειν* posse esse sincerum. Nam Sophonias, quem editione A passim esse usum constat, haec habet: *ἔτι δὲ καὶ ἡ κατὰ τὸ τρέφειν καὶ αὔξάνεσθαι καὶ φθίνειν κίνησις.* Quod cur scripserit, nisi si in his Sophonias A editionem secutus est, vix quisquam dicat. Poteram igitur sic explere versus:

.. *ἔτι κίνησιν τὴν κατὰ τὸ τρέ]φειν*
[καὶ αὔξάνεσθαί τε καὶ φθίνειν ..

Sed quum diversa futura essent infinitivorum subjecta, veritus sum ne his receptis injuriam Aristoteli facerem.

§ 3. 413^a 30. *τρέφεταί τε καὶ ζῇ*] *Τέ* non potest omitti. Aristoteles hoc dicit: nutritur, et propterea quod nutritur vivit. Videantur quae de *τὲ καί* diximus ad 405^a 27.

§ 9. 413^b 24. *περὶ δὲ τοῦ νοῦ*—27. *ἀΐδιον τοῦ φθαρτοῦ.* Mira in his est exegetarum variatio. Themistius ubi accuratissime Aristotelis verba transscribere videtur habet haec: *περὶ δὲ τοῦ θεωρητικοῦ νοῦ οὐδέν πω φανερόν, ἀλλ' ἔοικε ψυχῆς γένος ἕτερον εἶναι τοῦτο, καὶ τοῦτο μόνον ἐνδέχεσθαι χωρίζεσθαι, καθάπερ τὸ ἀΐδιον τοῦ φθαρτοῦ.* Alio loco, ubi e memoriâ videtur scribere, eadem habet nisi quod *ἔοικε τῆς ψυχῆς ἕτερον γένος εἶναι*, manifesto memoriae lapsu. Tertio loco vulgatam praebet excepto uno verbo *ἐνδέχεται*, cujus loco *ἐνδέχεσθαι* ponit. Philoponus quum plus uno loco haec Aristotelis verba adhibeat, aut integram opponit vulgatam aut ita mutatam illam uti in tertiâ Themistii scripturâ mutata apparet, h. e. *ἐνδέχεσθαι* pro eo quod est *ἐνδέχεται.* Hic nisi fallor fortuitus error est: sicuti 274^b 12. pro *ἐνδέχεσθαι φέρεσθαι* inverso corruptelae genere unus liber habet *ἐνδέχεται φέρεσθαι.* Sed quam Themistii primam posui scripturam, num ea quoque casui attribuenda est? Non crediderim, praesertim quum et bis ea apud eum legatur et praeterea ea quae nobis vulgata est. Imo vix potest dubitari quin illam Themistius ex libro editionis A transscripserit. Usum autem esse Themistium utrâque editione inde apparet quod et *πρίονι* et *πελέκει* utitur exemplo eo loco de quo diximus ad fol. 187 bis r° 28. — Sed Philoponus *φέρεται δέ* inquit *καὶ ἄλλη γραφή, ᾗ κέχρηται καὶ Ἀλέξανδρος ʽἀλλ' ἔοικε ψυχῆς γένος ἕτερον εἶναι τοῦτο μόνον ἐνδέχεσθαιʼ (καθάπερ τὸ ἀΐδιον τοῦ φθαρτοῦ).* Dolerem si calumniatus essem virum egregium et de Aristotele optime meritum: sed quum ex Alexandri libellis constet eum negasse non modo animam sed intellectum esse immortalem, vereor ne datâ operâ Alexander mutaverit Aristotelis verba. E scriptis nostris libris nullus videtur cum Alexandro facere: nam quod *S* omittit *καί* (26.), *χωρίζεσθαι* omittit X, id casu factum existimo.

§ 12. 414^a 7. *ὑγιείᾳ*] Trendelenburgio obtemperantes dativum scripsimus: in his enim nulla codicum fides. *Τὸ μέν* et *τὸ δέ* hoc loco non esse ad substantivi sed ad adverbii instar posita demonstrant quae sequuntur *τὸ δὲ μορίῳ τινί.* — Haec est causa cur putem 5. Aristotelem scripsisse non *λέγομεν δέ* vel *τούτων δὲ λέγομεν* (hoc enim Basil.) *τὸ μὲν ἐπιστήμην τὸ δὲ ψυχήν*, praesertim quum eadem sententia statim sequatur, *ἑκατέρῳ γὰρ τούτων*

φαμὲν ἐπίστασθαι: non hoc igitur scripsisse sed *λέγω δὲ τὸ μὲν ἐπιστήμην τὸ δὲ ψυχήν* ('ich meine einerseits . . anderseits . .').

CAPUT TERTIUM.

§ 3. 414^b 9. Legebatur *τῶν δ' ἄλλων αἰσθητῶν κατὰ συμβεβηκός*: pessime. Nihil enim ad ea verba supplenda intelligi potest nisi aut *ἅπτεται* aut *αἰσθάνεται*. Sed ratione quam addit Ar. (*οὐθὲν γὰρ — ὀσμή*) non id probatur sed hoc: *τοῖς δ' ἄλλοις αἰσθητοῖς κατὰ συμβεβηκὸς* int. *τρέφεται*. Dicit *τοῖς ἁπτοῖς, οἷσπερ τρέφεται, συμβαίνει ἅμα καὶ ὁρατοῖς ἢ ὀσφραντοῖς εἶναι.* Tangit Pythagoreos quosdam: cf de Sensu et Sensili 5. 445^a 16.

§ 3. 414^b 14. *ὕστερον*] h. e. de Sensu et Sensili, cap. 4.

§ 6. 414^b 32. Nisi fallor etiam in secundâ et tertiâ recensione Ar. scripsit quod legitur in primâ: *ὥστε καὶ καθ' ἕκαστον*. Postquam enim generalem animae definitionem tradidit (*B* 1, cf 412^b 9. *καθόλου μὲν οὖν εἴρηται τί ἐστιν ἡ ψυχή*), in capite secundo transit ad declarandas animas singulas, (413^a 11. *ἐπεὶ δέ*, quod respondet illi *μέν*). Utrumque definitionis genus necessarium: quare rectius *ὥστε καὶ καθ' ἕκαστον ζητητέον.*

§ 7. 415^a 2. Quum in primâ editione scripserit Ar. *τὸ θρεπτικόν, οἷον ἐν τοῖς φυτοῖς*, non intelligo cur vocem *οἷον* in secundâ et tertiâ omiserit. Poterat facili negotio omitti a librario: *θρεπτικON οἷON ἐν*. Cf Bon. ad 985^b 6. Waitz. ad 1^b 18 et 4^b 23. *Οἷον* passim omittitur a librariis: 314^a 19. (om *H.*) 403^a 7. (om *W.*) 405^b 25. (om *TV.*) cet.

§ 7. 415^a 6. Cur in secundâ et tertiâ editione scripsit *οὔτ' ὀσμῆς αἴσθησιν*, nec vero *οὔτ' ὀσμήν*? An ambiguitatis vitandae causâ, quia *οὐκ ἔχουσιν ὀσμήν* et *οὐκ ὄζουσιν* potest significare et *οὐκ ὀσφραίνονται*?

§ 7. 415^a 7. *τελευταῖον δὲ καὶ ἐλάχιστα λογισμὸν καὶ διάνοιαν.*] Miror haec Aristotelem scripsisse pro *τελευταῖον δέ ἐστι λογισμὸς καὶ διάνοια, καὶ ἐλάχιστα ἔχει ταῦτα.* Minus etiam placent quae haud scio an aliquis pro secundâ recensione habeat, *τελευταῖον δὲ καὶ ἐλάχιστον λογισμὸν καὶ διάνοιαν*, in quibus nemo sane aliud ad *τελευταῖον* aliud ad *ἐλάχιστον* verbum addat, id quod tamen necessarium est. Omnium facillimum est quod in primâ editione scripsit, *τελευταῖον δὲ διάνοια καὶ λογισμός*, ac ratio quam subjungit non ad hoc minus apte quam ad illud accommodata est. Haec ita comparata sunt ut de scripturâ secundae et tertiae recensionis dubitaverim num sincera sit.

§ 7. 415^a 11. *τὰ δὲ ταύτῃ μόνῃ ζῶσιν.*] Haec verba quum desint primae editioni, ne quis de iis dubitet, conferat Met. *A* 1. 980^b 26. *τὰ μὲν οὖν ἄλλα ταῖς φαντασίαις ζῇ καὶ ταῖς μνή-*

μαις, ἐμπειρίας δὲ μετέχει μικρόν. Rhet. *B* 12. 1389ᵃ 21. (*οἱ νέοι*) *ζῶσι τὰ πλεῖστα ἐλπίδι*, et *B* 13. 1390ᵃ 6. Porro ne quis in *μόνῃ* vocabulo offendat, (nam quae *φαντασίᾳ*, eadem etiam *ὀρέξει* praedita sunt, 413ᵇ 22sqq. 414ᵇ 4sqq.): *ζῶσι μόνῃ* hoc loco idem fere significat ac *ζῶσι μάλιστα*.

CAPUT QUARTUM.

§ 2. 415ᵇ 3. *ἐπεὶ*—7. *δ' ἕν*. Haec magnâ difficultate premuntur. Docet Ar. quomodo natura perennitatem quam individuo praestare non possit compenset perennitate generis et serie non interruptâ quâ semper filius excipiat patrem: 'quasi cursores' enim 'vitaï lampada tradunt'. De sententiâ dubitari nequit. Sed quid est quod dicit animalia et plantas *ἀδυνατεῖν κοινωνεῖν τοῦ ἀεὶ καὶ τοῦ θείου τῇ συνεχείᾳ*? *Ἡ συνέχεια* non est perennitas et ut ita dicam perpetuitas unius numero individui: eam potius diceres *ἀϊδιότητα* vel *ἀθανασίαν*: imo *ἡ συνέχεια* est id ipsum quod animalibus concessum est, series non interrupta generis. Cf Phys. *E* 3. 227ᵃ 10—17. de Gen. et Corr. *B* 10. Sed quoquo me verto, non habeo quomodo hunc locum corrigam. Prima hujus loci recensio videtur quidem confirmare vulgatam et omnem de posterioris editionis verbis suspicionem removere: sed vocabula *ουνουτη* in codice ita non potuerunt legi ut magis mente quam oculis viderim. Praeterea, ut recte legerim, grammatica ratio evincit censendum esse *οὐ* negationem a librario esse transpositam, ut quam post *θειου* debuerit ponere post *ουν* posuerit. Themistius dubito utrum castigatiora habuerit exemplaria an, quod veri est similius, tacitus sententiam depravatam correxerit. Scribit enim quum eleganter tum verissime: *τούτῳ* (h. e. *τῷ ἐν γενέσει*) *γὰρ περιποιῆσαι βούλεται εἰκόνα θειότητος καὶ ἀϊδιότητος ἡ φύσις καθ' ὅσον δύναται. δύναται δὲ τῇ συνεχείᾳ μόνῃ, διὰ τὸ μηδὲν ἐνδέχεσθαι τῶν φθαρτῶν ταὐτὸ καὶ ἓν ἀριθμῷ διαμένειν. ᾗ οὖν δύναται μετέχειν ἕκαστον, ταύτῃ κοινωνεῖ τοῦ θείου, τὸ μὲν μᾶλλον τὸ δὲ ἧττον· μᾶλλον μὲν ὅσων ἡ γένεσις ἐξ ἀλλήλων οὐδεπώποτε διαλείπει, ἧττον δὲ ὡς ἐπί τινων ζώων ἃ ταῖς ὥραις δοκεῖ ποτὲ μὲν φθείρεσθαι ὁλόκληρα ποτὲ δὲ γίνεσθαι.* Ut igitur dicam quod sentio: ipse philosophus in utendo hoc vocabulo quod est *συνέχεια* hoc loco negligentius videtur esse versatus.

§ 5. 415ᵇ 18. Legitur *τοιοῦτον δ' ἐν τοῖς ζῴοις ἡ ψυχὴ καὶ κατὰ φύσιν*: nullo idoneo sensu. Ar. dicit naturae in iis animalibus quae *κατὰ φύσιν* gignuntur finem esse animam: in quibusdam enim natura non assequitur, quae vel mortua nascuntur vel *πεπηρωμένα*: sed id non est *κατὰ φύσιν*. Quaeri potest an legendum sit *ἡ ψυχὴ τοῖς κατὰ φύσιν*, id quod a primâ scriptione proxime abest.

Necessarium sane non est, modo deleatur vocula *καί*, quae vel ex dittographiâ vocis *κατά* orta est vel etiam ex versu 19. (*καὶ καθάπερ*) perperam huc illata: ibi enim quidam libri omittunt. — De iis quae sequuntur dubito: nimis late enim patere videtur quod dicit *πάντα γὰρ τὰ φυσικὰ σώματα τῆς ψυχῆς ὄργανα*, quum haud dubie etiam elementa et inanima corpora his verbis comprehendantur. Multo melius A: *καὶ πᾶν τὸ σῶμα ὄργανον τῇ ψυχῇ*. An scripserit *ἔμψυχα σώματα*?

§ 5. 415^b 20. *διττῶς δὲ τὸ οὗ ἕνεκα, τό τε οὗ καὶ τὸ ᾧ.* Quum paulo supra dixerit (2.) *τὸ δ' οὗ ἕνεκα διττόν, τὸ μὲν οὗ, τὸ δὲ ᾧ*, existimet aliquis altero utro loco hanc sententiam esse ejiciendam, praesertim quum posteriori loco editioni A desit. Sed fallitur si quis Aristotelem bis idem dixisse putat. Illic enim in universum monuerat duplicem esse verborum *τὸ οὗ ἕνεκα* sensum: hic dicit utroque sensu animam esse *τὸ τέλος καὶ οὗ ἕνεκα*. Ideo illic *διττόν* scripsit, hic *διττῶς*, illic *μὲν* — *δέ*, hic *τέ* — *καί*. Verum id esse quod dicit (ut utroque sensu anima sit finis,) facile apparet si quis perspexerit quid in illâ formulâ significet *οὗ*, quid *ᾧ*: videatur praeter Trendelenburgium Bonitzius ad 1072^b 2 (Comment. p. 499.). Videatur etiam Phys. *B* 2. 194^a 35, quo loco non sine causâ *διχῶς*, non *διττῶς*, scriptum est.

§ 6. 415^b 25. In editione A scripsit *μὴ ἔχον δὲ ψυχὴν οὐθὲν ἂν αἴσθοιτο*, in B^a *αἰσθάνεται δ' οὐθὲν ὃ μὴ ψυχὴν ἔχει*, in B^b *αἰσθάνεται δ' οὐθὲν ὃ μὴ μετέχει ψυχῆς*. Quod postremum scripsi, voluit corrigendo efficere etiam librarius codicis *W*: sed casu factum ut non haec corrigeret sed quae 27. leguntur *ὃ μὴ κοινωνεῖ ζωῆς*: eorum enim loco scripsit *ὃ μὴ μετέχει ψυχῆς*. Luculentum hoc exemplum est ejus rei de quâ saepius verba fecimus: alterius editionis libros passim esse correctos adhibitis libris alterius editionis, nec id semper satis accurate esse factum.

§ 7. 415^b 28. *προστιθεὶς*] *προσθέσει* scribendum censet Karsten Emped. p. 454, prorsus ejectum vult vocabulum Zeller, Ph. d. Gr. I, p. 537, n. 1: frustra. Nova nunc vocabulo ex alterâ editione auctoritas accessit. Aristoteles dicit Empedoclem incrementa plantarum recte repetiisse ex nutritione, sed hoc non bene ab eo additum, graves nutrimenti particulas deorsum, leves sursum ferri.

§ 8. 416^a 11. *μόνον τῶν σωμάτων ἢ τῶν στοιχείων*] Quis unquam talia legit apud Aristotelem? *Ἢ τῶν στοιχείων*, ipsum nisi fallor ex *ἤτοι στοιχείων* factum, interpretamentum est *τῶν σωμάτων*. Si Ar. necessarium duxisset ut elementa accuratius significaret, (quamquam quis est qui non intelligat quae dicat *σώματα*?) scripsisset profecto *τῶν ἁπλῶν σωμάτων*, sicut hac ipsâ paginâ (28) et innumeris prope locis, praecipue in Physicis.

§ 13. 416^b 16. *ἤδη γὰρ ἔστιν*] int. *τὸ τρεφόμενον*. Quod libri scripti addunt, *αὐτοῦ ἡ οὐσία* vel *αὐτὴ ἡ οὐσία*, id tam superfluum est vel potius ineptum, (quasi filius non sit *οὐσία*,) ut pro interpretamento satis infelici sit habendum.

§ 15. 416^b 23. *ἐπεὶ δὲ*—25. *αὐτό*. Haec trajecta sunt: nam et hoc loco incommode interpellant institutam demonstrationem trium illarum rerum quae in nutritione distinguuntur, et pertinent ad superiorem disputationem (20.), quae erat de animâ nutritivâ. Causa erroris fuit quod utriusque enunciati prima verba sunt *ἐπεὶ δέ*. Restituto ordine si quis universum locum legere velit, sentiet quam bene et concinne omnia procedant.

CAPUT QUINTUM.

§ 2. 417^a 13. Haec Alexandro debemus: legebatur *ὁμοίως δὲ καὶ τὸ αἰσθάνεσθαι*, non *τὸ αἰσθητόν*. Sententiarum nexus hic est: 9. *ἐπειδὴ δὲ τὸ αἰσθάνεσθαι λέγομεν διχῶς* . . 12. *διχῶς ἂν λέγοιτο καὶ ἡ αἴσθησις* . . 13. *ὁμοίως δὲ καὶ τὸ αἰσθητόν*. Ergo et absolutum jam est *τὸ αἰσθάνεσθαι* nec hoc loco ferri potest propter *ὄν* quod sequitur, *τὸ δυνάμει ὂν αἰσθάνεσθαι*.

§ 4. 417^a 22. *λέγομεν*] Lege *ἐλέγομεν*, et intellige 14—21: nam *περὶ αὐτῶν* est *περὶ τοῦ πάσχειν καὶ τοῦ κινεῖσθαι καὶ τοῦ ἐνεργεῖν*, 15.

§ 4. 417^a 22. *ἔστι μὲν*—^b 2. *τρόπον*. Primum videamus de verbis 24. *ἔστι δ' ὡς ἤδη λέγομεν ἐπιστήμονα τὸν ἔχοντα τὴν γραμματικήν*: offendit enim illud *ἤδη*, quod per sensum non licet cum *λέγομεν* conjungere nec cum *τὸν ἔχοντα* per positum. Aut igitur post *ἔχοντα* transponendum est (coll. Phys. *Θ* 4. 255^a 33. *ἔστι δὲ δυνάμει ἄλλως ὁ μανθάνων ἐπιστήμων καὶ ὁ ἔχων ἤδη καὶ μὴ θεωρῶν*), aut, si id propter 28. *ὁ ἤδη θεωρῶν* minus aptum videtur esse, pro notulâ alicujus legentis margini adscriptâ habendum erit. Quod *SX* praebent, *ὡς ἤδη λέγομεν ἐπίστασθαι τὸν ἔχοντα τὴν γρ.*, id propter *ἤδη* illud corrigendo videtur scriptum esse. — Sed altius descendit corruptela quâ hic locus infectus est. Quod 29. legitur, *ὁ θεωρῶν ἐντελεχείᾳ ὤν*, id non potest ita *ἀσυνδέτως* scriptum fuisse, nec vero dixeris *ἐντελεχείᾳ ὤν* praedicari de eo quod est *ὁ θεωρῶν*: foret enim non *ὤν* sed *ἐστί*. Deinde frustra quaeris verbum, quod omnibus his nominativis lucem affundat et sensum addat. Porro universa hujus loci structura debilis est et manca. Pertinet enim homo contemplans ad recensum *τῶν ἐπιστημόνων* quem inde a versu 22. instituit. Qui vero hoc ferri potest: *ἔστι μὲν γὰρ οὕτως ἐπιστῆμόν τι* . . (24.) *ἔστι δ' ὡς λέγομεν ἐπιστήμονα* . . (28.) *ὁ δ' ἤδη θεωρῶν*? Manifestum est desiderari vocabulum quo significetur institutum recensum conti-

nuari, praesertim quum ὁ θεωρῶν ἐπιστήμων ceteris ἐπιστήμοσι, qui δυνατοί tantum sunt, quodammodo opponatur. Id vero vocabulum peropportune servavit Sophonias, quum scribat τρίτος δὲ .. ὁ .. ἤδη θεωρῶν. Verba ejus haec sunt: (ad 26.) φανερὸν οὖν ὡς οὐ τὸν αὐτὸν τρόπον ἑκάτερος τούτων δυνατός ἐστιν, ἀλλ᾽ ὁ μὲν ὅτι τὸ γένος τοιοῦτον καὶ ἡ ὕλη, ὁ δὲ ὅτι βουληθεὶς δυνατὸς θεωρεῖν καὶ ἐνεργεῖν, ἂν μή τι κωλύσοι (l. κωλύσῃ) τῶν ἔξωθεν. τρίτος δὲ παρὰ τούτους ὁ κατ᾽ ἐνέργειαν καὶ ἤδη θεωρῶν, ἐντελεχείᾳ ὢν καὶ κυρίως ἐπιστάμενος τόδε τὸ α.

Deinde verba 30. ἀμφότεροι μὲν οὖν οἱ πρῶτοι κατὰ δύναμιν ἐπιστήμονες sana esse non possunt, propter duas causas. Postquam enim non solum illos esse potentiâ sed etiam quomodo sint potentiâ dictum est, ridiculum esset repetere eos esse potentiâ. Deinde id quod dicitur non est verum. Describuntur homo qui nihil adhuc didicit, v. c. puer infans, et homo qui scientiâ instructus est, sed eâ nunc non utitur. Ad eum quem posteriorem posui consensu omnium pertinent verba 32. ὁ δ᾽ ἐκ τοῦ ἔχειν τὴν αἴσθησιν ἢ τὴν γραμματικήν, μὴ ἐνεργεῖν δ᾽ εἰς τὸ ἐνεργεῖν ἄλλον τρόπον, quamcunque institueris eorum verborum interpretationem: priori igitur describendo inserviunt verba 31. ὁ μὲν διὰ μαθήσεως ἀλλοιωθείς cet. Sed hoc manifesto absurdum est: infans enim nondum didicit. Accedit quod, ut nunc universus locus legitur, ἠλλοιωμένος scribendum erat, non ἀλλοιωθείς. — Diu haec animum sollicitum habuerant: sentiebam corruptelam, medela in promptu non erat. Quaesivi igitur quo tenderet Aristoteles, ut ex fine et termino viae de ipsâ viâ quam tenuisset conjecturam facerem. Vult autem demonstrare veram sentiendi naturam: vulgo enim pati sentiendo sensum et alterari dicunt. Est vero alius transitus ex privatione ad habitum, quo transitu in fetu immaturo nondum oculis praedito nascuntur oculi, alius ex habitu et potestate ad usum et actum, si quis oculos, quibus videre potest, aperit ut videat, [b] 17. τοῦ — 19. θεωρεῖν. Illustrat hanc rem exemplo scientiae, quae notior est: manifestum enim est alium esse transitum pueri ex ignorantiâ ad scientiam, quae res discendo fit, alium ex scientiâ qua homo literatus nunc non utitur ad ejus usum, quae est contemplatio. Jam apparet quid desit: desideratur notio transeundi. Quam facillime sic posse Aristoteli restitui arbitror: ἀμφότεροι μὲν οὖν οἱ κατὰ δύναμιν ἐπιστήμονες ἐνεργείᾳ γίγνονται ἐπιστήμονες, ἀλλ᾽ ὁ μὲν διὰ μαθήσεως ἀλλοιωθεὶς καὶ πολλάκις ἐξ ἐναντίας μεταβαλὼν ἕξεως, ὁ δ᾽ ἐκ τοῦ ἔχειν .. εἰς τὸ ἐνεργεῖν (int. μεταβάλλων) ἄλλον τρόπον (int. ἐνεργείᾳ γίγνεται). Sic et aoristus suum locum habet et cetera quae exposui incommoda jam nulla sunt. Ἐπιστήμονες parvo intervallo repetitum librario causa fuit errandi: postquam mutilatus fuit locus, illatum est πρῶτοι, ut

aliquod sententiae simulacrum existeret, *ἀμφότεροι οἱ πρῶτοι κατὰ δύναμίν εἰσιν ἐπιστήμονες.* Alexandrum pleniora hoc loco habuisse Aristotelis verba quam quae in libris scriptis tradita sunt affirmare non ausim: sententiam certe recte exposuit: *ὁ μὲν πρῶτος λεγόμενος δυνάμει ὁ κατὰ τὸ πεφυκέναι οὐκ ἄλλως εἰς τὸ ἐνεργείᾳ γενέσθαι μεταβάλλει εἰ μὴ διὰ τοῦ παθεῖν τε καὶ ἀλλοιωθῆναι διὰ μαθήσεως, ὁ δὲ ἤδη ἔχων εἰς τὸ ἐνεργεῖν οὐ διὰ πάθους ἔτι καὶ ἀλλοιώσεως μεταβάλλει.* p. 157. Sp.

Denique moneo pessime scribi *τὴν αἴσθησιν*, 32. Recte sine dubio Themistius *τὴν ἀριθμητικήν*: quod tamen in Aristotelis verba recipere non sum ausus, quia consentaneum est in paraphrasi multa mutari. Non potest vero scripsisse Ar. *τὴν αἴσθησιν* quia a versu 14. *πρῶτον μὲν οὖν* usque ad b 11. *φύσιν* omnia eum ad finem diriguntur ut via muniatur ad recte intelligendam sentiendi rationem, quae nominatim b 16. demum (*τοῦ δ' αἰσθητικοῦ* cet.) explicatur. Non licet igitur hoc loco de eo quod demonstrandum est loqui quasi de re concessâ et in vulgus notâ. *Τὴν ἀριθμητικὴν ἢ τὴν γραμματικήν* referuntur ad 29. *ἐπιστάμενος τόδε τὸ Α*: potest enim *τὸ Α* et numeri et syllabae elementum significare.*)

§ 5. 417b 4. Virgulam quae post *ὁμοίου* ponebatur delevi, ne quis dubitaret conjungere *οὕτως ὁμοίου ὡς*..

§ 5. 417b 6. *εἰς αὑτό*] Sic scribendum esse, non *εἰς αὐτό*, demonstravi in scriptione quam laudavi ad 409a 10—15.

§ 5. 417b 9. *τὸ μὲν οὖν*—16. *φύσιν.* Legitur *τὸ μὲν οὖν εἰς ἐντελέχειαν ἄγον ἐκ δυνάμει ὄντος κατὰ τὸ νοοῦν καὶ φρονοῦν*: velim scire quo sensu. Ergo *τὸ εἰς ἐντελέχειαν ἄγον* si est figura geometrica, ea figura non est *διδασκαλία* vocanda? At quis tam insanus est ut figuram vocet doctrinam? Vides legendum esse *τὸ .. ἄγειν εἰς ἐντελέχειαν*, cujus verbi deinde objectum est *τὸ νοοῦν καὶ φρονοῦν*: sic enim legendum est: *κατὰ τὸ νοοῦν* sensu caret. Simili modo 5. *τὸ ἔχον ἐπιστήμην*, 8. *τὸ φρονοῦν*, 12. *τὸ μανθάνον καὶ λαμβάνον ἐπιστήμην.* — Porro 12. legitur *τὸ δ' ἐκ δυνάμει ὄντος μανθάνον καὶ λαμβάνον ἐπιστήμην.* At id ipsum quod discit quo tempore discit est *δυνάμει ὄν.* Potest igitur dici *τὸ δυνάμει ὂν μανθάνει* vel *τὸ δυνάμει ἐπιστῆμον μανθάνει*, nullo modo dici potest *μανθάνει ἐκ δυνάμει ὄντος* vel *ἐκ δυνάμει ἐπιστήμονος.* Igitur pro certo affirmaverim verba *ἐκ δυνάμει ὄντος* perperam huc esse illata e versu 10. Non ita multo latius patet hujus loci corruptela qualis in codice X legitur: is enim

---

*) Universum hunc locum cum omnibus corruptelis laudat Joh. Philoponus, *κατὰ Πρόκλου, περὶ ἀϊδιότητος τοῦ κόσμου Δ', ζ'*, sic: 417a 21. *διαιρετέον* —23. *ἄνθρωπον, ὅτι ἄνθρωπος τῶν*—28. *κωλύῃ τῶν ἔξωθεν· ὁ δ' ἤδη θεωρῶν*—b 2. *τρόπον.*

liber post *ἐκ δυνάμει ὄντος* haec addit: *κατὰ τὸ νοοῦν καὶ φρονοῦν*, petita illa ex eodem versu decimo.

CAPUT SEXTUM.

§ 2. 418ª 13. *ἤ*—16. *ποῦ.* Addidi post *διαφοράς* (14.) signum orationis interruptae: nam nisi moneatur, vix poterit qui haec legit non putare opponi inter se *μέν* et *ἀλλὰ—γέ*, quod tamen a vero longe abest. Ipse Themistius in eum errorem incidit: *εἰ καὶ πλείω ταύτῃ τὰ ὑποκείμενα . . οὐ μὴν ἕτερον τρόπον ἐνεργεῖ περὶ αὐτὰ ἢ ὅνπερ ἑκάστη τῶν λοιπῶν περὶ τὰ ἴδια.* — Postquam mentio facta *χρώματος* et *ψόφου* et *γεύσεως* eo detulit Aristotelem ut moneret tactûs non esse eodem modo unum objectum, (422ᵇ 32. *ἀλλὰ τί τὸ ἓν τὸ ὑποκείμενον, ὥσπερ ἀκοῇ ψόφος, οὕτω τῇ ἁφῇ, οὐκ ἔστιν ἔνδηλον,*) quia ea res non potest paucis absolvi, interpellat se atque orationem eo revocat unde aberravit. Diligenter tractatus est hic locus *B* 11.

§ 3. 418ª 17. *ἑκάστου*] Corrigendum est nisi fallor *ἑκάστης* vel, quod Themistius habet, *ἑκάστης αἰσθήσεως*: nunc enim quum *αἰσθητηρίου* supplendum sit, id justo durius videtur esse.

CAPUT SEPTIMUM.

§ 1. 418ᵇ 2. *διόπερ οὐχ ὁρατὸν ἄνευ φωτός, ἀλλὰ πᾶν τὸ ἑκάστου χρῶμα ἐν φωτὶ ὁρᾶται.* In priore editione *ὁρατόν* fuit etiam secundo loco. Mutavit ut intelligeretur 2. *ὁρατόν* actu esse visibile, et vitandae tautologiae gratiâ. Cf 419ª 9. Similis ratio est verborum 419ª 1—2. *οὐ πάντα δὲ ὁρατὰ ἐν φωτί ἐστιν . . ἔνια γὰρ ἐν μὲν τῷ φωτὶ οὐχ ὁρᾶται.*

§ 2. 418ᵇ 8. Legebatur *ἀλλ' ὅτι ἐστὶ φύσις ἐνυπάρχουσα ἡ αὐτὴ ἐν τούτοις ἀμφοτέροις*: correximus loco usi gemino, de Sensu et Sensili 3. 439ª 23. *ὃ δὲ λέγομεν διαφανές, οὐκ ἔστιν ἴδιον ἀέρος ἢ ὕδατος οὐδ' ἄλλου τῶν οὕτω λεγομένων σωμάτων, ἀλλά τίς ἐστι κοινὴ φύσις καὶ δύναμις, ἣ χωριστὴ μὲν οὐκ ἔστιν, ἐν τούτοις δ' ἐστίν.* Quo loco collato intelligitur pro eo quod est *κοινή* nostro loco esse scriptum *ὑπάρχουσα ἡ αὐτή*, (id enim *κοινόν* est quod quum idem sit a pluribus participatur,) et jungenda esse verba sic: *ὅτι ἔστι τις φύσις ἐν τούτοις ἀμφοτέροις, ἡ αὐτὴ ὑπάρχουσα.* Hanc *τοῦ κοινοῦ* notionem magni in hac re fuisse Aristoteli momenti apparet etiam ex iis quae paulo post dicit (13.) *καὶ γὰρ τούτῳ τι ὑπάρχει ἓν καὶ ταὐτόν.*

§ 2. 418ᵇ 9 et 10. Virgulam posui post *ἐνέργεια*, quia *τοῦ διαφανοῦς ᾗ διαφανές* epexegesis est vocabuli *τούτου*: item post *δυνάμει δέ*, quo facilius intelligeretur sententia: *ἐν ᾧ τὸ φῶς*

ἐστίν, ἐν τούτῳ δυνάμει καὶ τὸ σκότος. Cf 30—31. et de Sensu et Sens. 3. 439ᵇ 14—17.

§ 3. 418ᵇ 18. *δοκεῖ τε*] Legebatur *δοκεῖ δέ*: male. Aristoteles definivit lucem esse *παρουσίαν* quandam, 16. Id primum per eversam contradictionem demonstravit, sic: lux si non est *παρουσία* illa, corpus erit vel corporeum. At corpus quidem non est, quia non possunt duo corpora in eodem esse. Ergo lux est *παρουσία* illa. Alterum argumentum petitum est a privatione lucis, 18. *δοκεῖ τε τὸ φῶς ἐναντίον εἶναι τῷ σκότει* — 20. *φῶς ἐστίν*. Nulla igitur his inest oppositio, *δοκεῖ δέ*, sed alterum argumentum altero continuatur. Ex multis locis ubi tale *τέ* legitur apponimus hos: 438ᵇ 1. 1112ᵃ 8—9. 1172ᵇ 24. 1173ᵇ 4. 1174ᵃ 1 et 4.

§ 3. 418ᵇ 22. Codex *E* non *γιγνομένου* praebet sed *τεινομένου*: secundisne id curis debetur, ut vox sit quâ ipse Empedocles in hac re utatur? In iis quidem Empedoclis versibus qui casu ad nostram aetatem pervenerunt non legitur lucem *τείνεσθαι*: quamquam per se id haud indignum censuerim esse poetâ, ut sit lux quasi *σειρὴ χρυσείη*:

φῶς τέταται τηλαυγὲς ἀπ᾽ οὐρανόθεν πεδίονδε:

liceat enim versiculi periculum facere. Sed quidquid est, in Aristotelis loco notio *τοῦ τείνεσθαι* minus apta videtur, propterea quod quaeritur utrum moveatur lux necne, et utrum tempore quodam opus sit ut lux hinc illuc perveniat necne. Idem apparet ex loco gemino, de Sensu et Sensili 6. 446ᵃ 25—ᵇ 2, ad quae respondetur ᵇ 27 sqq. Igitur *TEINOMENOY* pro falsâ scripturâ habendum est ejus quod est *ΓΙΓΝΟΜΕΝΟΥ*: nec video quomodo haec ratio possit labefactari nisi quis dicat alio loco qui sit de eodem Empedocle legi *ἄλογον δὲ ὅλως τὸ ἐξιόντι τινὶ τὴν ὄψιν ὁρᾶν καὶ ἀ π ο τ ε ί ν ε σ θ α ι μέχρι τῶν ἄστρων*, de Sensu et Sensili 2. 438ᵃ 25: quodsi visus dici possit exire et *ἀποτείνεσθαι*, cur non etiam lucem, quae obviam visui eat? Cf de Mem. 2. 452ᵇ 10. de Coel. B 8. 290ᵃ 17 et 22. Respondeo longe diversum esse *ἀποτείνεσθαι* a simplici *τείνεσθαι:* illud enim motum quendam significat. Demus igitur eo loco de cujus scripturâ agitur potuisse scribere Aristotelem *ἀποτεινομένου*, id quod non concedimus: si ea optio datur ut aut servemus quod traditum est *γιγνομένου* aut ipsi corrigamus *ἀποτεινομένου*, nemo jam ambiget quid faciendum sit.

§ 3. 418ᵇ 24. In priore editione scripserat *τοῦτο γάρ ἐστι καὶ π α ρ ὰ τ ὴ ν ἐ ν τ ῷ λ ό γ ῳ ἀ λ ή θ ε ι α ν καὶ παρὰ τὰ φαινόμενα*, in alterâ *παρὰ τὴν τοῦ λόγου ἐνάργειαν*. — *Ἡ ἐν τῷ λόγῳ ἀλήθεια* non est veritas rationis, (*ἡ τοῦ λόγου ἀλήθεια*,) sed veritas in ratione allatâ manifesta et quasi per se elucens, *τὸ μὴ λανθάνον.* Ingeniose profecto dictum. Sed quum prima et ad etymon proxime accedens vocabuli *ἀληθής* significatio longo usu evanida

et quasi detrita esset, verendum erat Aristoteli ne lectores quales vulgo sunt sententiam parum intelligerent. Correxit igitur posuitque quod neminem posset latere *παρὰ τὴν τοῦ λόγου ἐνάργειαν.*

§ 9. 419[a] 32. *τὸ δὲ μεταξὺ*— [b] 4. *διορίσωμεν.* Haec tribus in locis mutilata sunt et corrupta: quibus de locis singillatim agemus: ac primum quidem de [a] 32. *τὸ δὲ μεταξὺ*— 33. *ὕδατός ἐστιν.* Ibi non recte dicitur *τὸ δὲ μεταξὺ ψόφων μὲν ἀήρ*, quum aqua quoque medii locum teneat, [b] 18. *ἔτι ἀκούεται ἐν ἀέρι καὶ ὕδατι.* Ridiculum vero est *ὀσμῆς δ' ἀνώνυμον*, quum quaedam animalia in aëre, alia in aquâ olfaciant, 421[b] 8—13: quae elementa non carent opinor nomine. Utrumque igitur medium quum utrique sensui inserviat, aut utrumque *ἀνώνυμον* est aut neutrum. De re conferatur de Sensu et Sensili caput quintum. Denique in verbis (32.) *κοινὸν γὰρ δή τι πάθος* illud *δή* nullo modo dici potest quid sibi velit, si vulgatam teneas. — Sententia Aristotelis obscura non est. Quum enim id quod in aquâ et aëre et caelesti corpore pellucidum est hoc ipso *τοῦ διαφανοῦς* nomine significetur, caremus nomine quo id significemus quod in aëre et aquâ sono inserviat, item quod olfactui. Adhibitâ igitur Themistii paraphrasi, qui hoc in loco videtur integro usus esse exemplari, Aristotelis verba magnâ cum probabilitate possunt restitui. Themistius haec habet: *τὸ δὲ μεταξὺ ψόφου καὶ ὀσμῆς ἀὴρ καὶ ὕδωρ· ἀλλ' ὥσπερ τὸ διαφανὲς κοινὸν ἦν πάθος τῶν δύο μάλιστα τούτων στοιχείων δι' οὗ παραπέμπει* (l. *-εται*) *τὰ χρώματα, οὕτως ἄλλο τι ὑποληπτέον κοινὸν εἶναι πάθος τῶν αὐτῶν τούτων στοιχείων ὃ παραπέμπει τοὺς ψόφους καὶ αὖ ἄλλο ὃ παραπέμπει τὰς ὀσμάς. ὀνομάζουσι δὲ οἱ ἐξηγηταὶ τὸ μὲν διηχές, τὸ δὲ δίοσμον· οὐ γὰρ αὐτός γε Ἀριστοτέλης.*

Secundo deest post [b] 1. *ἀλλ' ὁ μὲν ἄνθρωπος καὶ τῶν πεζῶν ὅσα ἀναπνεῖ ἀδυνατεῖ ὀσμᾶσθαι μὴ ἀναπνέοντα*, post haec igitur verba membrum deest integrum quo de aquatilibus doceatur animalibus. Et Simplicius quidem expressis verbis dicit nihil respondere illi *μέν*: ex Themistii vero et Sophoniae paraphrasi quae desunt facili negotio possunt refingi. Themistii verba mox apponam: Sophonias *φαίνεται γάρ* inquit *καὶ τὰ ἔνυδρα τῶν ζώων ἔχειν αἴσθησιν ὀδμῆς καὶ ψόφων· ἔστι γάρ πως καὶ τὸ ὕδωρ διηχὲς καὶ δίοσμον ὡς καὶ ὁ ἀήρ. ἀλλ' ὁ μὲν ἄνθρωπος καὶ τῶν πεζῶν ὅσα ἀναπνεῖ ἀδυνατεῖ ὀσμᾶσθαι μὴ ἀναπνέοντα, τὰ δὲ ἔνυδρα ὀσμᾶται μέν, οὐκ ἀναπνεῖ δέ. ἡ δέ αἰτία καὶ περὶ τούτων ὕστερον λεχθήσεται.* Conferatur praeterea de Sensu et Sens. 5. 444[b] 22.

Denique initium capitis octavi foede corruptum est: cujus rei indicia sunt quod *πρῶτον* (4.) sensu cassum est: deinde *EWX* codices habent *νῦν δὲ πρῶτον περὶ ψόφου καὶ ὀσφρήσεως διο-*

ρίσωμεν, non *καὶ ἀκοῆς*, quod vix erit qui fortuito factum autumet. Sed felici casu Themistius, qui in universo hoc loco Aristotelis vestigiis instat, hanc quoque lacunam explet: cujus rei quo fidem faciam, integrum transsscribam locum. *φαίνεται γὰρ καὶ τὰ ἔνυδρα τῶν ζώων ἔχειν αἴσθησιν ὀσμῆς. ἀλλ' ὁ μὲν ἄνθρωπος καὶ τῶν ζώων ὅσα ἀναπνεῖ ἀδυνατεῖ ὀσμᾶσθαι μὴ ἀναπνέοντα, τὰ δὲ ἔνυδρα καὶ μὴ ἀναπνέοντα ὅμως ὀσμᾶται* (h. e. *τὰ δὲ ἔνυδρα ὀσμᾶται καὶ μὴ ἀναπνέοντα*, quae verba propter homoeoteleuton ex Aristotelis textu exciderunt). *ἡ δ' αἰτία καὶ περὶ τούτων ὕστερον λεχθήσεται. νῦν δὲ ἐκ τῶν εἰρημένων δῆλόν ἐστι τί ποτέ ἐστιν ἡ ὄψις· ἡ γὰρ δύναμις ἡ δεχομένη τοὺς τῶν χρωμάτων λόγους ἄνευ τῆς ὕλης διὰ τοῦ μεταξὺ διαφανοῦς ὄψις ἂν εἴη. μετὰ δὲ τὴν ὄψιν περὶ ἀκοῆς ῥητέον καὶ πρό γε τῆς ἀκοῆς περὶ ψόφου.* Hactenus Themistius. Jam vero non inutile erit universum Aristotelis locum describere qualem fuisse existimo. a 32. *τὸ δὲ μεταξὺ ψόφου μὲν καὶ ὀσμῆς ἀήρ τε καὶ ὕδωρ· τὸ δὲ κοινὸν ἀνώνυμον· κοινὸν γὰρ δή τι πάθος ἐπ' ἀέρος καὶ ὕδατός ἐστιν, ὥσπερ τὸ διαφανὲς χρώματι, οὕτω τῷ ἔχοντι ὀσμήν, ὃ ἐν ἀμφοτέροις ὑπάρχει τούτοις· φαίνεται γὰρ καὶ τὰ ἔνυδρα τῶν ζῴων ἔχειν αἴσθησιν ὀσμῆς. ἀλλ' ὁ μὲν ἄνθρωπος καὶ τῶν πεζῶν ὅσα ἀναπνεῖ ἀδυνατεῖ ὀσμᾶσθαι μὴ ἀναπνέοντα, τὰ δὲ ἔνυδρα ὀσμᾶται καὶ μὴ ἀναπνέοντα. ἡ δ' αἰτία καὶ περὶ τούτων ὕστερον λεχθήσεται. νῦν δ' ἐκ τῶν εἰρημένων δῆλον τί ἐστιν ὄψις. Μετὰ δὲ ταῦτα λεκτέον περὶ ἀκοῆς καὶ ὀσφρήσεως. καὶ πρῶτον μὲν περὶ ψόφου καὶ ἀκοῆς διορίσωμεν.*

CAPUT OCTAVUM.

§ 2. 419b 18. *ἀλλ' ἧττον* non potest ab Aristotele scriptum esse. Qui id scripsit, voluit quidem ille dicere in aquâ minus bene audiri quam in aëre: debebat igitur scribere *ἔτι ἀκούεται, ὥσπερ ἐν τῷ ἀέρι, οὕτω καὶ ἐν ὕδατι, ἀλλ' ἧττον*: ac talia videtur habuisse archetypon codicis *T*. Sed universa haec sententia ab hoc loco aliena est, quum nihil ea valeat ad id demonstrandum quod sibi demonstrandum sumsit Aristoteles: *τὸ μεταξὺ* non esse *κύριον τοῦ ψόφου*. Restituto denique illo *μέν* quod ante *ἐν* excidit haec erit hujus enunciati forma genuina: *ἔτι ἀκούεται μὲν ἐν ἀέρι καὶ ὕδατι, οὐκ ἔστι δὲ ψόφου κύριος ὁ ἀὴρ οὐδὲ τὸ ὕδωρ.*

§ 3. 419b 20. Nisi magnopere fallor, Ar. scripsit *ἀλλὰ δεῖ στερεῶν πληγὴν γενέσθαι πρὸς ἄλληλα ἢ καὶ πρὸς τὸν ἀέρα.* Hae duae res sunt ac diversae. Quum enim supra (10.) dixisset sonum semper fieri *τινὸς πρός τι καὶ ἔν τινι*, jam ei in mentem venit stridor ille vel sibilus quem virgâ vel flagro efficimus celeriter discusso aëre: ibi enim *τὸ ἐν ᾧ* quodammodo etiam *τοῦ πρὸς ὅ*

vices gerit: quam rem deinde (21. *τοῦτο δὲ γίνεται*—25. *ταχύ*) luculenter explicat. Themistius *τηνικαῦτα δέ* ait *τοὺς δύο ἀναδέχεται λόγους ὁ ἀήρ, τόν τε τοῦ τυπτομένου σώματος καὶ τὸν τοῦ ἐν ᾧ τύπτεται.* Cf etiam Alexandri locus quem descripsit Trend. Comment. p. 381—2.

§ 4—6. 419^b 25. *ἠχὼ*—420^a 19. *ἀέρα.*] In his multa corrupta sunt atque ita corrupta ut non possim omnia emendare: nam testimonia non suppetunt. Sed vel indicato morbo aliquid saltem consecuti esse videbimur. — Verba de quibus agendum diximus duobus locis continentur. Prior locus est de *ἠχοῖ*, isque locus ab initio pertinet ad 420^a 2. *λεῖον ἐπίπεδον.* Deinde agit de aëre cum ipso auditu concreto, qui in cavitate tympani includitur, 420^a 3. *ψοφητικὸν* — 19. *ἀέρα.* Sed intra prioris loci fines interposita sunt quaedam quae ad secundum locum pertinent: dico autem 419^a 33. *τὸ δὲ κενὸν ὀρθῶς λέγεται κύριον τοῦ ἀκούειν· δοκεῖ γὰρ εἶναι κενὸν ὁ ἀήρ,* (intellige *ὁ ἐν τοῖς ὠσὶν ἐγκατῳκοδομημένος,*) *οὗτος δ᾽ ἐστὶν ὁ ποιῶν ἀκούειν*: quae verba manifesto cognata sunt cum his, quae in altero loco leguntur: *καὶ διὰ τοῦτό φασιν ἀκούειν τῷ κενῷ καὶ ἠχοῦντι, ὅτι ἀκούομεν τῷ ἔχοντι ὡρισμένον τὸν ἀέρα*, 420^a 18. Utroque loco explicatur opinio quaedam popularis: quum enim sub tympani membranâ vacuum esse videretur, dicebant nos vacuo audire. Cf de Partt. Ann. *B* 10. 656^b 15. Quo igitur pertineant verba illa (419^b 33—34) postquam demonstratum est, jam videamus cur eo loco quo nunc posita sunt non possint ferri. Primum enim quomodo et quando fiat *ἠχώ* Ar. enarrat, 419^b 25. *ἠχὼ*—27. *σφαῖρα.* Deinde demonstrat omnem sonum repercuti quidem sed ita repercuti ut auditum non feriat nisi a superficie planâ vel, quod ipse dicit, laevi repercutiatur. Illustrat hoc ipsius lucis exemplo: nam in luce quoque utrumque usu venit, ut et semper repercutiatur et, nisi a superficie laevi, adeo repercutiatur obscure ut vix lucem voces: quia videlicet lux diffusa non efficit umbram, qua re definimus lucem. Eodem modo, inquit, etiam sonus repercutitur, modo aër motus continuus sit et unus: sed propter aëris naturam, quia facile diffluit, auditum non stringit nisi a superficie laevi repercutiatur: sin ita, unus est aër, et omnes aëris moti particulae simul repercutiuntur, propter superficiei naturam, quam laevem esse posuimus: una enim est rei laevis superficies. — Hanc esse Aristotelis sententiam vix erit qui neget. At jam quaeso haec conferas cum iis quae apud Aristotelem nunc scripta inveniuntur. Ac primum apparet verba illa de quibus sermo incidit, *τὸ δὲ κενὸν κτἑ*, loco esse posita tam inepto ut non possint ineptiori: nihil enim cum re propositâ habent commune. Deinde vero interciderunt ea verba quibus a comparatione lucis ad sonum reditur, nec quidquam ex iis reliqui est nisi haec: *ὅταν κινηθῇ συνεχὴς καὶ*

εἷς, 419ᵇ 35. Ut igitur sententiam meam uno quasi obtutu comprehendas, totum locum describam suppletis aliquo modo iis verbis quae exciderunt. 419ᵇ 27. *ἔοικε δ' ἀεὶ γίνεσθαι ἠχώ, ἀλλ' οὐ σαφής· ἐπεὶ συμβαίνει γε ἐπὶ τοῦ ψόφου καθάπερ καὶ ἐπὶ τοῦ φωτός· καὶ γὰρ τὸ φῶς ἀεὶ ἀνακλᾶται, (οὐδὲ γὰρ ἂν ἐγίνετο πάντῃ φῶς, ἀλλὰ σκότος ἔξω τοῦ ἡλιουμένου·) ἀλλ' οὐχ οὕτως ἀνακλᾶται ὥσπερ ἀφ' ὕδατος ἢ χαλκοῦ ἢ καί τινος ἄλλου τῶν λείων, ὥστε σκιὰν ποιεῖν, ᾧ τὸ φῶς ὁρίζομεν. οὕτω δὲ καὶ ὁ ψόφος ἀνακλᾶται μὲν ἀεὶ ὅταν καὶ μὴ ᾖ συνεχὴς καὶ εἷς ὁ ἀήρ, ἀλλὰ διὰ τὸ ψαθυρὸς εἶναι οὐ γεγωνεῖ ἂν μὴ λεῖον ᾖ τὸ πληγέν. τότε δὲ εἷς γίνεται, καὶ ἅμα ἀφάλλεται, διὰ τὸ ἐπίπεδον· ἓν γὰρ τὸ τοῦ λείου ἐπίπεδον.* — Haec eam nisi fallor habent probabilitatem quae in talibus rebus jure postulari potest: nam si in scriptis libris invenirentur, nemo sane aut in sententiis aut in verborum conformatione offenderet. Ex verbo *κινηθῇ* (419ᵇ 35) lenissimâ medelâ effeci *καὶ μὴ ᾖ*: quae enim nunc leguntur, *ὅταν κινηθῇ συνεχὴς καὶ εἷς*, ea *ὢν* participium adeo desiderant ut ne graece quidem dicta putem. Quae vero in loco interpolato post lacunam posita vitium contraxerunt, ea non correxisse religioni duxi. — Ut hic locus absolvatur, verbo monuisse sat est 420ᵃ 1. *τότε δὲ εἷς γίνεται ἅμα διὰ τὸ ἐπίπεδον* intelligi non posse et esse corrupta. Jam quum Themistius dicat *καὶ ἀποπάλλεται, ὡς εἷς, καὶ ἅμα*, (quamquam Themistio hoc loco minus confido,) Aristotelem quoque scripsisse arbitror *τότε δὲ εἷς γίνεται, καὶ ἅμα ἀφάλλεται, διὰ τὸ ἐπίπεδον.* Errandi causa librario videtur fuisse quod *-εται* bis in his verbis legitur.

Ut summam rei persequeremur, distulimus dicere de duobus locis paginae superioris, quos emendavimus. Nam 419ᵇ 33. legebatur *ὥστε σκιὰν ποιεῖν, ᾗ τὸ φῶς ὁρίζομεν.* Prorsus necessarium visum est scribere *ᾧ τὸ φῶς ὁρίζομεν.* Nam si de ipsis rebus sermo esset, non de earum definitione, scripsisset profecto *ᾗ τὸ φῶς ὁρίζεται*, umbra quâ terminatur lux. Ergo de definitione quadam agitur lucis vulgari ac minus accuratâ: lux est id quod umbram efficit: id vero est *ᾧ*, h. e. *ὁρίζομεν τὸ φῶς τῷ σκιὰν ποιεῖν.*

Deinde dicendum est de fide verborum *ἀπὸ τοῦ*, quae leguntur in his, 419ᵇ 25. *ἠχὼ δὲ γίνεται ὅταν ἀπὸ τοῦ ἀέρος ἑνὸς γενομένου διὰ τὸ ἀγγεῖον τὸ διορίσαν καὶ κωλῦσαν θρυφθῆναι πάλιν ὁ ἀὴρ ἀπωσθῇ, ὥσπερ σφαῖρα.* — *Ἠχὼ* igitur fit quum aër repercutitur sicut pila: hactenus clara res est. Additur repercuti aërem *ἀπὸ τοῦ ἀέρος κτέ*, h. e. ab aëre qui unus factus sit propter vas quo terminatur atque impeditur quominus diffluat. Loquitur de saxis vel domuum muris ita positis ut aërem motum vel sonum cohibeant. Qua in re turbat quod ab aëre dicit ita coartato repercuti sonum: nam particula illa moti aëris quam vocamus sonum

ipsa pars est aëris intra muros inclusi: at pars non repellitur a suo toto: porro quod addit *ὥσπερ σφαῖρα*: nam ludentium pila non ab aëre repercutitur sed ab ipso muro. Videtur igitur haec sententia et a rei veritate abhorrere et ipsa parum sibi constare. Omnia plana erunt si omittimus verba *ἀπὸ τοῦ*, id quod faciunt codices *SUVX*: ita enim fiet ut nec sonus ab aëre repercutiatur, id quod subabsurdum videtur, sed a corpore solido, et verba illa *ἀέρος ἑνὸς γενομένου* condicionem tantum addant quâ neglectâ non fiat *ἠχώ*. Quid igitur sensit Aristoteles? sonum ab aëre repercuti an a muro? Nam haec inter se pugnant: alterum verum sit necesse est, alterum falsum. In genuinis Aristotelis libris et quae indubitatae sint fidei non invenio quo hanc quaestionem dirimam. Rejicimur igitur ad Problemata, quae sicut nonnulla habent quae et digna sunt Aristotele et cum aliquâ probabilitate ei adscribuntur, ita magnâ ex parte ab Aristotele sunt abjudicanda. Sed videamus problema vigesimum tertium sectionis *ΙΑ*, 901^a 16. *Διὰ τί, εἴπερ ἡ φωνή ἐστιν ἀήρ τις ἐσχηματισμένος καὶ φερόμενος, διαλύεται πολλάκις τὸ σχῆμα, ἡ δὲ ἠχώ, ἣ γίνεται πληγέντος τοῦ τοιούτου πρός τι στερεόν, οὐ διαλύεται αὕτη, ἀλλὰ σαφῶς ἀκούομεν αὐτῆς; ἢ ὅτι ἀνάκλασίς ἐστιν, ἀλλ' οὐ κατάκλασις; οὕτω δὲ τό θ' ὅλον διαμένει καὶ δύο μέρη* (h. e. sonus qui prior fuit et repercussus sonus) *ὁμοιοσχήμονα ἐξ αὐτοῦ γίνεται· πρὸς ὁμοίαν γὰρ γωνίαν ἐστὶν ἡ ἀνάκλασις. διὸ καὶ ὁμοία γίνεται ἡ τῆς ἠχοῦς φωνὴ τῇ ἐξ ἀρχῆς.* Haec et scripta sunt tam bene et cum universâ Aristotelis doctrinâ tantopere concinunt ut, si quod aliud, hoc problema pro genuino sit habendum. Manifesto igitur non ab aëre aër repercutitur sed a solido corpore: *ἣ γίνεται πληγέντος τοῦ τοιούτου πρός τι στερεόν.* Posset igitur acta res videri nisi contraria quoque opinio haberet quo inniteretur. Nam hujus ipsius problematis posteriorem partem codex *y* talem praebet ut ei sententiae patrocinetur ex quâ sonus ab aëre repercutitur: scribit enim . . . *ἀλλὰ σαφῶς ἀκούεται; ἢ διότι ἀνάκλασις, οὐ κατάκλασίς ἐστιν; τοῦτο δὲ ὅλον ἀφ' ὅλον εἰς τὸ πάθος ἀφομοιοῦται· ἀπὸ γὰρ τοῦ ἀέρος ἀνακλᾶται καὶ* (dele *καὶ*) *τοῦ ἐν τῷ κοίλῳ, οὐκ ἀπὸ τοῦ κοίλου.* At haec interpolata esse facile apparet, et interpolata quidem perabsurde, siquidem supposita cum germanis aperte pugnant. Eadem repugnantia ex interpolatione orta cernitur in problemate ejusdem sectionis quinquagesimo primo, 904^b 27: atque ibi quidem omnes codices in eodem additamento conspirant. Postquam enim problematis vigesimi tertii quae genuina sunt verba paucis mutatis repetiverunt, addunt haec: *εἶτα τὸ πάθος ἀφ' ὁμοίου· ἀπὸ γὰρ τοῦ ἀέρος ἀνακλᾶται* (adde *τοῦ*) *ἐν τῷ κοίλῳ, οὐκ ἀπὸ τοῦ κοίλου.* Aliquanto modestius versatus est interpolator problematis septimi ejusdem sectionis, 899^b 18. Postquam enim ipse Ar. ea disputavit quae ex

ejus sententiâ, ex quâ a muro motus aër repercutitur, necessario consequuntur, his deinde interpolator benigne addit quae nisi aër ab aëre repercutitur nullum habent sensum: *συμβάλλεται δὲ ἴσως καὶ ἡ ἀκινησία τοῦ ἀέρος· ἀθρόος γὰρ ἰὼν* (lege *ὢν*) *μᾶλλον ἀποπλήττεται τὸν προσπίπτοντα.* Impugnatur igitur Ar. ab interpolatore quodam sententiae patrono ab Aristotelis sententiâ toto caelo diversae. Quod vero in problematis, idem etiam in psychologiâ usu venit. Quae quum ita sint, non potuimus non recidere verba illa *ἀπὸ τοῦ* unde universa haec disputatio initium sumsit,

Ne vero rem inchoatam reliquisse videamur, quaeramus si placet quid in causâ fuerit cur philosophi ejus aetatis quae Aristotelis aetatem excipit negaverint ab ipso pariete sonum repercuti. Principium ejus quaestionis solvendae sumendum est inde quod dicit Ar. *τὴν ἠχώ* esse *ἀνάκλασιν*, non *κατάκλασιν.* At ex Aristotelis sententiâ sonus et vox est *ἀήρ τις ἐσχηματισμένος καὶ φερόμενος*, Probl. *ΙΑ* 23. coll. 51. *διαλύεται πολλάκις τὸ σχῆμα*, ibid. de Sensu et Sensili 6. 446^b 6. *δηλοῖ δὲ τοῦτο καὶ ἡ τῶν γραμμάτων μετασχημάτισις.* At si aër certâ figurâ indutus percutit parietem, quî fit ut figura ea non diruatur, praesertim in tam tenui elemento? Quam difficultatem ut effugerent alii hoc excogitavere ut dicerent aërem non a pariete repercuti sed ab alio aëre, molliore scilicet et clementiore quam asper ille murus: alii universum *σχηματισμόν* negaverunt, quorum in numero est auctor libelli qui in corpore aristoteleo fertur *περὶ ἀκουστῶν*: dicit enim statim initio, 800^a 1. *τὰς δὲ φωνὰς ἁπάσας συμβαίνει γίγνεσθαι καὶ τοὺς ψόφους . . οὐ τῷ τὸν ἀέρα σχηματίζεσθαι, καθάπερ οἴονταί τινες*: unde transit ad tradendum rationem quandam undulatoriam ab hodiernâ non ita multum diversam. —

Postquam priorem hujus loci particulam quantum fieri poterat correximus et correcta explicavimus, idem faciendum est in particulâ secundâ, quae a 420^a 3. *ψοφητικὸν* ad 19. *ἀέρα* extenditur. Ea vero particula non, ut altera, lacunis deformatur sed perversâ quadam abundantiâ. Universum autem hunc librum a medicis antiquis diligenter et assidue esse lectitatum consentaneum est: quare mirari non possumus si qui gratiosi ordinis socius doctam aliquam vel quae ipsi docta videretur observationem in margine libri sui illevit eaque postea in Aristotelis verba est recepta. In talium observationum numero ponenda est quae legitur 420^a 15. *ἀλλὰ καὶ σημεῖον τοῦ ἀκούειν ἢ μὴ τὸ ἠχεῖν αἰεὶ τὸ οὖς ὥσπερ τὸ κέρας· ἀεὶ γὰρ οἰκείαν τινὰ κίνησιν ὁ ἀὴρ κινεῖται ὁ ἐν τοῖς ὠσίν· ἀλλ' ὁ ψόφος ἀλλότριος καὶ οὐκ ἴδιος.* Quod quam absurde dictum sit si quis ab Aristotele dictum putet, facile apparebit consideratâ aristoteleâ auditûs ratione. Sicut enim visus aquâ utitur, ita auditus aëre (de Sensu et Sensili 2. 438^a 12—16. ^{b} 16—21.

et saepissime). Is autem aër sub tympani membranâ, *τῇ μήνιγγι*, 420ᵃ 14, inclusus est et in aure tanquam sede suâ et domo habitat, *ἐγκατῳκοδόμηται*, 9. Cur? nimirum ut omnes aëris motus, (aëris dico externi, qui extrinsecus tympani membranam tangit,) incluso aëri mandentur, qui ipse eos ad sensûs sedem defert: 4. *ἀκοῇ δὲ συμφυὴς ἀήρ. διὰ δὲ τὸ ἐν ἀέρι εἶναι, κινουμένου τοῦ ἔξω ὁ εἴσω κινεῖται.* Is igitur aër, quem *συμφυῆ* vocat, per se motu careat necesse est, sicut aqua in oculo inclusa per se *ἄχρους* est. Si enim vel auditûs vel visûs instrumentum per se haberet sonum vel colorem, is profecto impediret externum sonum vel colorem quominus accurate perciperetur. Hoc ipse luculente docet Ar. quum dicit 19. *ὁ δ' ἐν τοῖς ὠσὶν ἐγκατῳκοδόμηται πρὸς τὸ ἀκίνητος εἶναι, ὅπως ἀκριβῶς αἰσθάνηται πάσας τὰς διαφορὰς τῆς κινήσεως.* Jam haec conferas quaeso cum verbis quae supra in suspicionem vocavimus: nonne haec contraria dicunt, atque ita contraria ut nullo modo cum illis possint conciliari? Qui aër altero loco in aure inclusus est *πρὸς τὸ ἀκίνητος εἶναι*, idem altero *ἀεὶ οἰκείαν τινὰ κίνησιν κινεῖται*: unde colligitur ut non possit *ἀκριβῶς αἰσθάνεσθαι πάσας τὰς διαφορὰς τῆς κινήσεως.* Ridiculum vero est quod additur *ἀλλ' ὁ ψόφος ἀλλότριος καὶ οὐκ ἴδιος.* Fac enim motionem illam aëris in aure inclusi, quum non sit *ἀλλοτρία* sed *ἰδία*, non debere vocari sonum: num ideo minus officiet motus internus externo supervenienti? (Possem etiam Problemata laudare *IA* 33 et 44, nisi eorum fides aut exigua esset aut nulla.) Quae quum ita sint, dubitari non potest quin verba illa quae in suspicionem vocavimus sint ex glossemate orta. Sed nisi fallor ipsa sunt corrupta. Nam *τὸ ἠχεῖν αἰεὶ τὸ οὖς ὥσπερ τὸ κέρας* veritati repugnat, quia ne tum quidem quum summa est externi strepitûs quies auditur ille *βόμβος* nisi obturato auris orificio. Quare suspicor scriptum fuisse *αὐτὸ τὸ οὖς*, h. e. per se et nullo adveniente extrinsecus sono.

Secundum additamentum invenitur ᵃ 12. *οὐκ εἰσέρχεται πρὸς αὐτὸν τὸν συμφυῆ ἀέρα*, in quibus *τὸν συμφυῆ ἀέρα* manifesto interpretamentum est vocabuli *αὐτόν*. Poterat alterum utrum scribere: sed *πρὸς αὐτὸν τὸν σ. ἀ.*, ad ipsum aërem concretum, ratione vacat.

Tertium additamentum est quod legitur ibidem, ᵃ 12. *ἀλλ' οὐδ' εἰς τὸ οὖς, διὰ τὰς ἕλικας*: hoc enim nihil ad rem. Praeterea ipsa ratio quae affertur, *διὰ τὰς ἕλικας,* absona est.

Correxi quod ᵃ 4. legebatur *ἀκοὴ δὲ συμφυὴς ἀέρι* ex codice *W* et Philopono, qui soli recte *ἀκοῇ δὲ συμφυὴς ἀήρ.* Loquitur Ar. de aëre *ἐγκατῳκοδομημένῳ* in auribus, qui est sub tympani membranâ. Ille vero aër concrevit cum auditu, ac ridiculum est dicere auditum concrevisse cum aëre.

Porro correxi quod legebatur 4—5. *κινουμένου τοῦ ἔξω τὸ εἴσω κινεῖ*, quod sensu caret. Nam si *τὸ εἴσω* esset accusativus, debebat scribere *κινούμενος ὁ ἔξω τὸν εἴσω κινεῖ.* Restitui *κινουμένου τοῦ ἔξω ὁ εἴσω κινεῖται*: per aërem externum motum eo motu qui est sonus movetur aër in aure inclusus.

Porro in his verbis 6. *οὐ γὰρ πάντῃ ἔχει ἀέρα τὸ κινησόμενον μέρος καὶ ἔμψυχον* duo deprehenduntur vitia, quibus correctis sic haec legenda sunt: *οὐ γὰρ πάντῃ ἔχει ἀέρα, ἀλλὰ τὸ κινησόμενον μέρος καὶ ἔμψοφον.* In corpore animato quum non sola auricula sit *ἔμψυχος*, apparet huic vocabulo hic non esse locum. *Ἔμψοφον* est *τὸ ψόφον ἔχον*, eaque vox ita est efficta ut *ἔγχυμος, ἔνθεος, ἔνθηρος, ἔννους, ἔντριχος*, alia complura. *Ψόφος* vero is est de quo Ar. in principio hujus capitis verba fecit, *ὁ δυνάμει.* Haec correctio omnibus nisi fallor probabitur: quamquam, ut fere fit, morbus medicinâ manifestior est. Excidisse vero *ἀλλὰ* post *ἀέρα*, id nolo demonstrare, ne lectori parum confisus esse videar.*) Neque magis necessarium est explicare cur 7. cum Themistio scripserim *αὐτὸς μὲν δὴ ἄψοφον ὁ ἀήρ*, nec vero *αὐτό.*

Jam dicendum est de codice *W:* is enim nonnullis in locis alia praebet quam ceteri. Primum enim ª 5, ubi ceteri *διόπερ οὐ πάντῃ τὸ ζῷον ἀκούει, οὐδὲ πάντῃ διέρχεται ὁ ἀήρ*, ibi igitur codex *W* haec habet: *διόπερ οὐ πάντι μέρει τὸ ζῷον ἀκούει ἀλλ' ὠσίν, οὐδὲ πανταχοῦ τοῦ σώματος διέρχεται.* Deinde vero post verba 6. (liceat enim correcta scribere) *οὐ γὰρ πάντῃ ἔχει ἀέρα, ἀλλὰ τὸ κινησόμενον μέρος καὶ ἔμψοφον*, codex *W* addit *ὥσπερ ἡ κόρη τὸ ὑγρόν.* Haec ita comparata sunt ut, qui probe intellexerit rationem quae intercedit inter primam et secundam hujus operis editionem, ubi quidem utraque superstes est, eum vix dubitaturum putem haec priori editioni adscribere. Sed, sicuti secundae editionis exemplaria in hac universâ particulâ corruptelis scatent, ita ne prior quidem editio ab omni corruptelâ immunis videtur fuisse: certe verba *ἀλλ' ὠσίν*, nimis insipida illa quidem, non dubito pro additamento habere. — Jam si quaerimus quid possimus ex his prioris editionis reliquiis utilitatis derivare, primum apparet verba 6. *ὁ ἀήρ* non ab omni suspicione esse libera. Nam et superflua sunt, quandoquidem aër non potest non intelligi quum praecedat *κινουμένου τοῦ ἔξω ὁ εἴσω κινεῖται*, nec in priore editione le-

---

*) Addi potest locus Theophrasti qui legitur in libello de Sensu et Sensili scripto, c. 57: ex quo intelligitur Aristotelem hoc loco cum Democrito rem habere: *ἄτοπον δὲ καὶ δι' ὧν* (l. *καὶ τὸ λέγειν*) *κατὰ πᾶν τὸ σῶμα τὸν ψόφον εἰσιέναι, καὶ ὅταν εἰσέλθῃ διὰ τῆς ἀκοῆς, διαχεῖσθαι κατὰ πᾶν, ὥσπερ οὐ ταῖς ἀκοαῖς ἀλλ' ὅλῳ τῷ σώματι τὴν αἴσθησιν οὖσαν.* Cf c. 55, et de visu similia c. 54. *ἄτοπον δὲ καὶ τὸ μὴ μόνον τοῖς ὄμμασιν ἀλλὰ καὶ τῷ ἄλλῳ σώματι μεταδιδόναι τῆς αἰσθήσεως.*

guntur. Multo vero gravius est quod videmus in hac hujus operis parte antiquo sane tempore adhibitam esse priorem editionem, ut vulgatam ex illâ supplerent: hoc enim utile est ad solvendam quaestionem quae est de 419ᵇ 33. *τὸ δὲ κενὸν ὀρθῶς λέγεται κύριον τοῦ ἀκούειν. δοκεῖ γὰρ εἶναι κενὸν ὁ ἀήρ, οὗτος δ' ἐστὶν ὁ ποιῶν ἀκούειν.* Hanc sententiam cognatam esse supra demonstravimus cum eâ quae legitur 420ª 18. *καὶ διὰ τοῦτό φασιν ἀκούειν τῷ κενῷ καὶ ἠχοῦντι, ὅτι ἀκούομεν τῷ ἔχοντι ὡρισμένον τὸν ἀέρα.* Has igitur sententias si diligenter excutimus, apparet non tantum cognatas esse sed unam eandemque vario modo dictam. Quae res sicuti obscura esset nisi de duabus hujus operis editionibus compertum haberemus, ita nunc facilem habet explicatum si ponimus verba prioris editionis principio fuisse scripta in margine secundae, deinde vero sive casu sive consilio esse detrusa in lacunam illam quam esse post 419ᵇ 33. *ὁρίζομεν* supra demonstravimus.

Superest ut totum hunc locum ita describam qualem fuisse censeo in libris qui perantiquo quodam tempore optimi fuere.

(420ª 3.) *ψοφητικὸν μὲν οὖν τὸ κινητικὸν ἑνὸς ἀέρος συνεχείᾳ μέχρις ἀκοῆς. ἀκοῇ δὲ συμφυὴς ἀήρ· διὰ δὲ τὸ ἐν ἀέρι εἶναι, κινουμένου τοῦ ἔξω ὁ εἴσω κινεῖται.*

editio prior: διόπερ οὐ παντὶ μέρει τὸ ζῷον ἀκούει, οὐδὲ πανταχοῦ τοῦ σώματος διέρχεται· οὐ γὰρ πάντῃ ἔχει ἀέρα, ἀλλὰ τὸ κινησόμενον μέρος καὶ ἔμψοφον, ὥσπερ ἡ κόρη τὸ ὑγρόν. αὐτὸς μὲν δὴ ἄψοφον ὁ ἀὴρ διὰ τὸ εὔθρυπτον· ὅταν δὲ κωλυθῇ θρύπτεσθαι, ἡ τούτου κίνησις ψόφος γίνεται.

editio posterior: *διόπερ οὐ πάντῃ τὸ ζῷον ἀκούει, οὐδὲ πάντῃ διέρχεται· οὐ γὰρ πάντῃ ἔχει ἀέρα, ἀλλὰ τὸ κινησόμενον μέρος καὶ ἔμψοφον. αὐτὸς μὲν δὴ ἄψοφον ὁ ἀὴρ διὰ τὸ εὔθρυπτον· ὅταν δὲ κωλυθῇ θρύπτεσθαι, ἡ τούτου κίνησις ψόφος.*

ὁ δ' ἐν τοῖς ὠσὶν ἐγκατῳκοδόμηται πρὸς τὸ ἀκίνητος εἶναι, ὅπως ἀκριβῶς αἰσθάνηται πάσας τὰς διαφορὰς τῆς κινήσεως. διὰ ταῦτα δὲ καὶ ἐν ὕδατι ἀκούομεν, ὅτι οὐκ εἰσέρχεται πρὸς αὐτόν. ὅταν δὲ τοῦτο συμβῇ, οὐκ ἀκούει· οὐδ' ἂν ἡ μῆνιγξ κάμῃ, ὥσπερ τὸ ἐπὶ τῇ κόρῃ δέρμα ὅταν κάμῃ.

prior editio: τὸ δὲ κενὸν ὀρθῶς λέγεται κύριον τοῦ ἀκούειν· δοκεῖ γὰρ εἶναι κενὸν ὁ ἀήρ, οὗτος δ' ἐστὶν ὁ ποιῶν ἀκούειν.

posterior editio: *καὶ διὰ τοῦτό φασιν ἀκούειν τῷ κενῷ καὶ ἠχοῦντι, ὅτι ἀκούομεν τῷ ἔχοντι ὡρισμένον τὸν ἀέρα.*

πότερον δὲ ψοφεῖ τὸ τυπτόμενον ἢ τὸ τύπτον; κτέ.

§ 8. 420ª 31. *οὐ δὴ ταχὺ τὸ ὀξύ,*] *καθάπερ φασὶν οἱ κατὰ τοὺς ἀριθμοὺς ἁρμονικοί,* Top. *Δ* 15. 107ª 15.

§ 9—10. 420ᵇ 9. *πολλὰ*—14. *μορίῳ.* Quod in superiore loco, qui est de sono, accidisse demonstravimus, ut observationibus quibusdam virorum doctorum in Aristotelis textum illatis sententiarum nexus solveretur et severa argumentandi ratio perturbaretur, id in hac quoque particulâ, quae est de voce, factum videmus: nam quae nunc de piscibus mussitantibus legimus qui in Acheloo flumine inveniuntur, ea non sunt Aristotelis. Nolo ejus rei hoc afferre argumentum, quamvis id verum sit, quod ejusmodi exempla ab hujus operis indole summam ac principia in omnibus persequentis aliena sunt. Aliquanto plus nisi fallor hoc valet. Demonstrandum est *πολλὰ τῶν ζῴων μὴ ἔχειν φωνήν* (9), sed ea tantum *ὅσα δέχεται τὸν ἀέρα* (16). Quodsi voluisset Ar. obviam ire exceptionibus quibus aliquis uti posset ad contrariam tuendam sententiam, non arripuisset rem paucissimis notam, dico autem pisces illos, sed eam posuisset quae vel cuilibet statim in mentem venit, *τὸν βόμβον* et murmur insectorum. Nunc vero contrarium factum videmus: tacet de insectis, de piscibus illis loquitur. Sed tertium est argumentum idque firmissimum. Felici enim casu factum est ut additamentum illud quod est de Acheloi piscibus non eo loco poneretur a librario quo refertur et cui inservit illustrando, sed loco tam importuno ut quae necessario conjungenda sunt, ea jam distrahantur. Utraque res liquide potest demonstrari. Apparet enim piscium exemplum ad pisces pertinere, sic: *πολλὰ δὲ τῶν ζῴων οὐκ ἔχουσι φωνήν, οἷον τά τε ἄναιμα καὶ τῶν ἐναίμων ἰχθύες. ἀλλ᾽ οἱ λεγόμενοι φωνεῖν, οἷον ἐν τῷ Ἀχελῴῳ, ψοφοῦσι τοῖς βραγχίοις ἢ τινι ἑτέρῳ τοιούτῳ*: ac si ita inveniremus scriptum, multo difficilius sentiremus interpolationem. Nunc vero, quod diximus, peropportune evenit ut librariorum stupor illud exemplum uno versu infra in Aristotelis verba inferret: unde factum est ut haec absurda existeret sententia: *πολλὰ δὲ τῶν ζῴων οὐκ ἔχουσι φωνήν, οἷον τά τε ἄναιμα καὶ τῶν ἐναίμων ἰχθύες. καὶ τοῦτ᾽ εὐλόγως, εἴπερ ἀέρος κίνησίς τίς ἐστιν ὁ ψόφος.* Ergo quia sonus est motio quaedam aëris, voce carent insecta, quae aërem movent? Quid obsecro diceret summus artis logicae magister si talia videret tanquam sua venditari? Quodsi ejicimus verba illa quibus ejusdem argumenti partes dimidiae discinduntur, hanc habebimus sententiam: ‘neque id caret ratione. Nam sonus quidem est aëris motio, sed non omnis sonus vox est: vox enim est animalis sonus, neque vero is omnis neque qui qualibet fit animalis parte.’ — Quamquam haec sufficiunt ad pisces musicos, qui suo loco recurrunt Hist. An. *Δ* 9. 535ᵇ 14, ex hoc loco removendos, non prorsus spernendae sunt duae observationes. Primum enim, si haec genuina essent,

Ar. scripsisset *οἱ λεγόμενοι φωνεῖν, οἷον οἱ ἐν τῷ Ἀχελῴῳ*, non *οἷον ἐν τῷ Ἀ.* Deinde *ἀλλά* illud plus quam suspectum est: debebat enim scribi aut *οἱ δὲ λεγόμενοι* aut *οἱ γὰρ λ.* Sed qui ejusmodi additamenta in margine adscripserunt, videntur valde amantes fuisse particulae *ἀλλά*: nam fere ubique eam ponunt: 419ᵇ 18. *ἀλλ' ἧττον.* 420ᵃ 5. (in iis quae *W* praebet) *ἀλλ' ὠσίν.* 420ᵃ 12. *ἀλλ' οὐδ' εἰς τὸ οὖς, διὰ τὰς ἕλικας.* 420ᵃ 15. *ἀλλὰ καὶ σημεῖον*... postremo hoc loco *ἀλλ' οἱ λεγόμενοι*... Idem *ἀλλά* invenies 421ᵃ 5, ubi post verba *διότι οἱ ἰχθύες ἄφωνοι* quidam libri addunt *ἀλλ' οἱ λέγοντες οὕτως* (al. *ὅτι φωνοῦσιν*) *ἁμαρτάνουσιν.*

Hactenus de verbis 11. *ἀλλ' οἱ* — 13. *τοιούτῳ* hinc removendis. Quamquam nondum absolutus est locus. Quod enim demonstravimus additamentum illud in medium quoddam argumentum esse illatum, cujus argumenti duas partes necessario conjungendas divelli jam ac scindi, id in causâ fuisse videtur ut secunda ejus argumenti pars mutilaretur. Ar. enim non videtur sic scripsisse: 13. *φωνὴ δ' ἐστὶ ζῴου ψόφος, καὶ οὐ τῷ τυχόντι μορίῳ.* Haec enim verba quum duabus contineantur partibus, eae partes non possunt per particulam *καί* conjungi, propterea quod altera pars non continuatur alterâ sed contrahitur et angustioribus finibus coërcetur. Themistius quidem *ζώου μὲν οὖν ψόφος* ait *ἡ φωνή, οὐ παντὸς δέ, ὥσπερ ἔφην, ἀλλ' οὐδὲ παντὶ μορίῳ· οὐ γὰρ τῷ τυχόντι.* Quae eo ducunt ut eum legisse existimemus *φωνὴ δ' ἐστὶ ζῴου ψόφος, οὐ παντὸς δὲ καὶ οὐ τῷ τυχόντι μορίῳ.* Sed *οὐ παντὸς δέ* non potest scripsisse Ar., quia hoc ipsum est demonstrandum. Collatis igitur iis quae paulo infra leguntur (29.) *οὐ γὰρ πᾶς ζῴου ψόφος φωνή, καθάπερ εἴπομεν*, scribendum censeo *φωνὴ δ' ἐστὶ ζῴου ψόφος, οὐ πᾶς δέ, καὶ οὐ τῷ τυχόντι μορίῳ.*

Ejectis igitur ejiciendis, additis addendis, universus locus hanc accipiet formam: 9. *πολλὰ δὲ τῶν ζῴων οὐκ ἔχουσι φωνήν, οἷον τά τε ἄναιμα καὶ τῶν ἐναίμων ἰχθύες. καὶ τοῦτ' εὐλόγως, εἴπερ ἀέρος κίνησίς τίς ἐστιν ὁ ψόφος, φωνὴ δ' ἐστὶ ζῴου ψόφος, οὐ πᾶς δὲ καὶ οὐ τῷ τυχόντι μορίῳ· ἀλλ' ἐπεὶ πᾶν ψοφεῖ τύπτοντός τινος καί τι καὶ ἔν τινι, τοῦτο δ' ἐστὶν ἀήρ, εὐλόγως ἂν φωνοίη ταῦτα μόνα ὅσα δέχεται τὸν ἀέρα.* Vides universum argumentum non absolvi nisi his ultimis verbis, ubi non sine causâ *εὐλόγως* vocabulum, quod idem initio positum erat, repetitur.

Haec fere sunt quae ad sanandum hunc locum afferri possunt. Fateor tamen ne sic quidem persanatum mihi videri. Quid enim? *εἴπερ ἀέρος κίνησίς τίς ἐστιν ὁ ψόφος, φωνὴ δ' ἐστὶ ζῴου ψόφος*, haec tam invenusta sunt et scabra ut prorsus abhorreant a

simplici illâ Aristotelis elegantiâ. Accedit, id quod etiam gravius est, quod hoc loco, quo a genere ad speciem descenditur, desideratur vocula *μέν*. Nihil offenderem si sic invenirem scriptum: *καὶ τοῦτ' εὐλόγως, εἴπερ ὁ μὲν ψόφος κίνησίς τίς ἐστιν ἀέρος, φωνὴ δ' ἐστὶ ζῴου ψόφος, οὐ πᾶς δέ, καὶ οὐ τῷ τυχόντι μορίῳ.*

§ 11—12. 421[a] 1 et 3 quum alii libri *τούτῳ* praebeant alii *τοῦτο*, quaeritur hoc an illud legendum sit utroque loco, an altero alterum et, si ita est, utrum utro. Igitur quod ubique faciendum duximus, ut locos singulos ex universâ sententiâ dijudicaremus et ubi opus esset adhibitis codicum et exegetarum subsidiis corrigeremus, id nunc quoque, si modo possumus, faciemus. Quodsi non verbum verbo sed sententiam sententiâ interpretari volumus, Ar. hoc videtur dicere. Si quis spiritum emittit, nondum vocem emittit: ergo non ipse spiritus quem respirando reddimus vocem efficit, 420[b] 33. (*ἡ φωνὴ οὐκ ἔστι*) *τοῦ ἀναπνεομένου ἀέρος*. Imo ut vox fiat necesse est cohibeas spiritum, 421[a] 2. *τὸ μὴ δύνασθαι φωνεῖν ἀναπνέοντα μηδ' ἐκπνέοντα, ἀλλὰ κατέχοντα.* Illud *κατέχειν* (*τὸ πνεῦμα*) non ita est intelligendum ut paulo post, 421[b] 15, ut omnino spiritus non emittatur nec intromittatur: sic enim nulla fiet vox. Sed quum vox ita fiat ut ligulae glottidis plus minusve tendantur atque paulatim emittatur spiritus per rimam glottidis jam coartatam, hanc voluntatis actionem, quae per nervos et musculos, (*τὸ ἔμψυχον*), exercetur, significare voluit Ar. illo *κατέχειν*, quod latine vertas regere vel moderari. Quod enim persaepe videmus fieri, ut divinatione quadam magis quam certâ scientiâ rem assequatur Ar., id in hac quoque re usu venit: nam glottidis ligulas earumque tensionem vereor ne Ar. non noverit. — Quae omnia si conjungimus, haec existit sententia. Distinguendus est aër qui est in faucibus ab eo aëre qui ex pulmonibus emittitur: non ab hoc efficitur vox, sed p e r hunc, quia per hunc ille qui est in faucibus alliditur ad ipsas fauces: (*ἡ φωνὴ οὐκ ἔστι*) *τοῦ ἀναπνεομένου ἀέρος, ἀλλὰ τούτῳ* (h. e. *τῷ ἀναπνεομένῳ ἀέρι*) *τύπτει* (*τὸ ἔμψυχον*) *τὸν ἐν τῇ ἀρτηρίᾳ πρὸς αὐτήν*, et, ut Aristotelis more loquar, *ὁ ἀναπνεόμενος ἀὴρ* non est *ὃ* sed *δι' οὗ* sive *ᾧ*. Dativus igitur legendus est et hoc loco et 421[a] 3. *κινεῖ γὰρ τούτῳ* (*τὸν ἐν τῇ ἀρτηρίᾳ πρὸς αὐτὴν*) *ὁ κατέχων*. — Una superest quaestio an scribendum sit [a] 1. *ἀλλὰ τούτῳ τύπτει τ ο ῦ τ ο τὸν ἐν τῇ ἀρτηρίᾳ πρὸς αὐτήν*: sic enim Simplicium habuisse manifestum est quum scribat: '*ἀλλὰ τούτῳ*', *τῷ ἀναπνεομένῳ δηλαδή*, '*τύπτει*' *τὸ ἔμψυχον· 'τοῦτο' γὰρ τὸ ἔμψυχον εἴρηκε.* Possunt nonnulla dici ad commendandam hanc lectionem: necessaria non est, quia subjectum verbi *τύπτει* facile intelligitur. Ego illud *τοῦτο* pro dittographiâ habuerim.

CAPUT NONUM.

§ 1. 421[a] 8. Prior editio quum habeat *οὕτως ὡς ὁ ψόφος καὶ τὸ φῶς*, posterior *οὕτως ὡς ὁ ψόφος ἢ τὸ χρῶμα*, sunt qui haec conjungant, codices *TWX* et ex interpretibus Simplicius et Philoponus et fortasse Themistius, suppletâ alterâ ex alterâ editione.

§ 3. 421[b] 1. Legebatur *ἡ μὲν γὰρ γλυκεῖα ἀπὸ τοῦ κρόκου καὶ τοῦ μέλιτος*, intell. *εἴληφε τὸ ὄνομα*. Sed verum non est odorem dulcem a croco esse appellatum: nam dulcem dicimus, non croceum odorem. — Qui *ἀπὸ τοῦ* addidit, debebat certe eadem addere ante *θύμου*, 2: id quod in iis libris factum videmus e quibus Basileensis et Aldina derivatae sunt editiones. Verba quae huic interpolationi ansam dederunt, leguntur [b] 1. *καθ᾽ ὁμοιότητα τῶν πραγμάτων*, quae *πράγματα* bonus vir putavit esse *τὸν κρόκον* et *τὸ μέλι* et *τὸν θύμον*. Imo quas res Ar. dicit esse similes, sunt *ἡ ὀσμὴ ἡ γλυκεῖα* et *ὁ χυμὸς ὁ γλυκύς*, item *ἡ ὀσμὴ ἡ δριμεῖα* et *ὁ χυμὸς ὁ δριμύς*. Inter haec sapores praediti sunt nominibus, odores per se carent: sed quum odor quisque saporis cujusque similis sit, etiam nomen traxit ab eo. Cf de Sensu et Sens. 4. 440[b] 30. *ἐναργέστερον δ᾽ ἐστὶν ἡμῖν τὸ τῶν χυμῶν γένος ἢ τὸ τῆς ὀσμῆς.*

§ 4. 421[b] 8. *καὶ τὸ φαύλην.*] De articulo restituendo cf 422[a] 30.

§ 5. 421[b] 10. *τὰ ἔνυδρα . . καὶ ἔναιμα καὶ ἄναιμα.*] Articulos recte posse omitti demonstrant quae 22. leges *τοῦ ὀσφραντοῦ καὶ δυσώδους καὶ εὐώδους*. Cf 426[b] 2 — 3. Ceterum hic locus idoneus est ad illustrandos tres illos perfectionis gradus de quibus saepe dictum est. Nam quum editio A habeat *καὶ γὰρ τὰ ἔνυδρα φαίνεται αἰσθανόμενα ὀσμῆς, καὶ τὰ ἔναιμα καὶ ἄναιμα ὁμοίως*, B[a] praebet haec: *καὶ γὰρ τὰ ἔνυδρα δοκοῦσιν ὀσμῆς αἰσθάνεσθαι, ὁμοίως δὲ καὶ τὰ ἔναιμα καὶ τὰ ἄναιμα*: postremo B[b] *καὶ γὰρ τὰ ἔνυδρα δοκοῦσιν ὀσμῆς αἰσθάνεσθαι, ὁμοίως καὶ ἔναιμα καὶ ἄναιμα.*

§ 7. 421[b] 29. *φράγμα*] *πῶμα W*, ex editione A huc illatum. *Πῶμα* legitur etiam de Spir. 11. 476[a] 34 et de Sensu et Sens. 5. 444[b] 23: quem locum velim conferas cum hoc.

§ 8. 422[a] 6. *ἔστι δ᾽ ἡ ὀσμὴ τοῦ ξηροῦ, ὥσπερ ὁ χυμὸς τοῦ ὑγροῦ.* Haec difficultatem habent. Quod objectum olfactûs, *τὴν ὀσμήν*, esse dicit siccum, num id de materiâ intelligendum est an de eo quod materiam informat? item objectum gustatûs, *τὸν χυμόν*, quod humidum esse vult, num id humidum forma est et *τὸ ποιοῦν*, an materia et *τὸ πάσχον*? (Cf Meteor. *Δ* 4.) Paulo infra, v. 10, dicit Humidum esse materiam gustatûs: cf 17 — 19. Ergo etiam Siccum materia est, non forma, rei olentis, et ut aliquid gustetur necesse est in humido contineatur, item ut odoratu percipiatur, in

sicco. Cui rei adversari videtur quod quaedam animalia in aëre odorantur, alia in aquâ, quorum elementorum utrumque humidum esse constat. Sed haec difficultas facile discutitur si quis recordetur gustatum quidem nullo uti corpore intermedio, 422ª 15. *ὡς μὲν οὖν τὸ μεταξὺ οὐθέν ἐστιν*, olfactum vero corpore intermedio non carere, 421ᵇ 8. *ἔστι δὲ καὶ ἡ ὄσφρησις διὰ τοῦ μεταξύ, οἷον ἀέρος ἢ ὕδατος.* Unde sequitur ut eo loco de quo agimus sermo non sit de corpore *τῷ διαπορθμεύοντι*, sed de ipsâ re olente: ejus igitur materiam esse siccam. At multi olent liquores: quam rem quis putet Aristotelem ignorasse? Deinde vero de Sensu et Sens. 5. init. legimus haec: *τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον* (int. *ὅνπερ καὶ περὶ τῶν χυμῶν*) *δεῖ νοῆσαι καὶ περὶ τὰς ὀσμάς· ὅπερ γὰρ ποιεῖ ἐν τῷ ὑγρῷ τὸ ξηρόν, τοῦτο ποιεῖ ἐν ἄλλῳ γένει τὸ ἔγχυμον ὑγρόν, ἐν ἀέρι καὶ ὕδατι ὁμοίως*: h. e. rei gustabilis forma est *τὸ ξηρόν*, materia *τὸ ὑγρόν*: item rei odorabilis forma *τὸ ἔγχυμον ὑγρόν*, materia *ἄλλο γένος.* Sed haec rei gustabilis et odorabilis comparatio claudicat: videmus enim ex iis quae sequuntur illud *ἄλλο γένος* esse *τὸ δίοσμον*, hoc est *τὸ μεταξύ*, quale in gustatu est nullum. Praeterea jure aliquis quaerat an legendum sit *τὸ ἔγχυμον ξηρόν*, non *ὑγρόν*: cf 443ª 6. *εἰ οὖν τις θείη καὶ τὸν ἀέρα καὶ τὸ ὕδωρ ἄμφω ὑγρά, εἴη ἂν ἡ ἐν ὑγρῷ τοῦ ἐγχύμου ξηροῦ φύσις ὀσμή.* 443ª 1. ᵇ 4—5. 445ª 13. Sed quidquid est, facere non possum quin ingenue confitear in his rebus Aristotelem videri mihi parum sibi constitisse. Nec id possumus mirari, quia manifesto quatuor illae naturales qualitates, dico autem calidum frigidum humidum siccum, non sufficiunt ad gignenda innumera prope rerum naturalium discrimina.

CAPUT DECIMUM.

§ 1. 422ª 11. Utrum legendum est *διὸ κἂν εἰ ἐν ὕδατι εἶμεν, αἰσθανοίμεθ' ἂν ἐμβληθέντος τοῦ γλυκέος*, an *ἦμεν* et *ᾐσθανόμεθ' ἄν*? Illud Bekkerus scripsit, hoc Trendelenburgius. — Est quidam locus de eâdem re et ceterum simillimus de Sensu et Sens. 6. 447ª 6. *ἦν δ' ἂν καὶ τὸ γενέσθαι ὥσπερ ἡ ὀσμὴ εἰ ἐν ὑγρῷ ἦμεν καὶ πορρωτέρω ἔτι πρὶν θιγεῖν αὐτοῦ ᾐσθανόμεθα*: quo inspecto vix ulla videtur dubitatio relinqui quin illic quoque imperfectum sit scribendum. Sed cavendum est ne falsâ specie decipiamur. Primum enim optativus haud minus quam imperfectum recte ponitur ubi agitur de re quae fieri non potest: differunt hae structurae, si de re impossibili agitur, ita ut, qui imperfecto utitur, expresse dicat rem fieri non posse, qui optativo, non dicat, sed cogitationis vi, quae magna est, pro facto ponat quod rerum natura non admittit. Locum quem ex libello de Sensu et Sensili

petivi qui recte intelligere vult, necesse est universum legat caput inde ab 446ª 20. Quo facto inveniet hunc esse illorum verborum sensum. Nec tactus gustatusque nec visus in tempore fiunt, sed puncto temporis, quamquam diversas ob causas. Contra sono et odori tempore opus est ut ab objecto perveniant ad sensum. Quodsi homo in aquâ viveret, etiam gustus earum rerum quas solvit aqua sensim ad eum deferretur, et videretur ei gustatus eodem modo fieri quo nunc odoratio. — Alia est ac diversa ratio loci 422ª 11. Gustatus, inquit, nullo utitur corpore medio, sed ipsam rem gustamus. Verum quidem est rem gustabilem, ut gustetur, non posse egere aquâ: sed aqua non tenet medii locum, imo in aquâ tanquam in materiâ continetur res gustabilis. Quod ut exemplo illustretur, ponamus hominem vivere in aquâ: sentiet homo procul rem dulcem in aquam infusam (*εἰ — εἶμεν, — αἰσθανοίμεθ᾽ ἂν . .*): non tamen, si ita esset, ideo medii locum aqua teneret, sed gustaremus dulce propterea quod cum aquâ misceretur. — Vides posteriorem tantum particulam, non priorem, ita dici ut simul negetur. Cf 423ᵇ 8—11.

§ 3. 422ª 33. Post *φύσιν* lenius distinxi, quia quae sequuntur *ἔστι δὲ κοινὸν ἁφῆς καὶ γεύσεως τὸ ποτόν* rationem reddunt verborum 31. *δοκεῖ δ᾽ εἶναι ἀρχὴ τὸ ποτὸν καὶ ἄποτον.* Quae vero media interjecta sunt, poterant ea parentheseos signo cancellari.

§ 5. 422ᵇ 16. Addendum esse *οἷον αὐτό*, sic: *γευστὸν δὲ τὸ ποιητικὸν ἐντελεχείᾳ αὐτοῦ οἷον αὐτό*, suadent quae legimus 418ª 3—6 et praecipue 424ª 1—2.

CAPUT UNDECIMUM.

§ 1. 422ᵇ 17. Legebatur *περὶ δὲ τοῦ ἁπτοῦ καὶ ἁφῆς ὁ αὐτὸς λόγος*, h. e. de his duabus rebus eandem valere rationem quam de reliquis. Restitui *καὶ περὶ ἁφῆς*, ut sententia haec sit: quae ratio est *τοῦ ἁπτοῦ*, eadem est *τῆς ἁφῆς*. Eâdem de causâ punctum maximum tollendum erat quod ponebatur post *λόγος*.

§ 3. 423ª 4. *ἁψάμενος*] Lege *ἁψαμένου*. Cf ad 435ª 1.

§ 4. 423ª 14. Legebatur *οἷον βούλεται ἡ σὰρξ καὶ τὸ ἀνάλογον· ὥστε ἀναγκαῖον καὶ τὸ σῶμα εἶναι μεταξὺ τοῦ ἁπτικοῦ προσπεφυκός*: legendum est *οἷον βούλεται εἶναι καὶ ἡ σὰρξ καὶ τὸ ἀνάλογον· ὥστε ἀναγκαῖον τὸ σῶμα εἶναι τὸ μεταξὺ τοῦ ἁπτικοῦ προσπεφυκός.* Sententia haec est. Si pars aëris corpori circumfusi cum eo concrevisset, viderentur nobis visus auditus olfactus unus quidam sensus esse: quum vero aër a corpore animantis separatus sit (10.), non latet nos sensus illos esse tres. In tangendo vero quod medii vice fungitur, id concretum est cum corpore, (cujus rei ratio redditur 12—14,) unde fit ut sensus qui

plures sint videantur nobis esse tantum unus. — Igitur summa sententiae in his sita est: *τὸ σῶμα τὸ μεταξὺ προσπεφυκέναι* vel *εἶναι προσπεφυκός*. Restituendus igitur erat ante *μεταξύ* articulus. Deinde *καί* illud quod legebatur (15.) ante *τὸ σῶμα* apparet sensu carere: nullum enim aliud corpus intermedium cum animato corpore concrevit. Porro legendum est *οἷον* (h. e. *μικτὸν ἐκ γῆς καὶ τούτων*) *βούλεται εἶναι καὶ ἡ σάρξ*: nam nec *βούλεται* sine *εἶναι* dicere consuevit Ar. et praeter carnem ceterae quoque (h. e. *καί*) corporis animati partes mixtae sunt. — In libro ex quo codex *E* vel descriptus vel correctus est videntur suâ sede fuisse verba *εἶναι καί*: infelici casu vero accidit ut haec verba a librario omissa alieno loco insererentur: habet enim ille liber in versu qui hunc excipit (15.) *ὥστε ἀναγκαῖον εἶναι καὶ τὸ σῶμα εἶναι.* Facile autem fieri poterat ut in his *βούλετΑΙ εἶνΑΙ κΑΙ* scribentis oculi ita aberrarent ut omitterentur *εἶναι καί.*

§ 9. 423ᵇ 22. *τὸ ἔσχατον.* Ignoro cur id addiderit Ar.

§ 11. 424ᵃ 2. Legebatur *ποιεῖ δυνάμει ὄν.* Sed sic *δυνάμει ὄν* non potest non videri subjecto appositum, quum re verâ appositum sit objecto. Scripsi igitur *τὸ δυνάμει ὄν*, primam secutus editionem.

CAPUT DUODECIMUM.

§ 1. 424ᵃ 18. Legebatur *ἡ μὲν αἴσθησίς ἐστι τὸ δεκτικὸν τῶν αἰσθητῶν εἰδῶν ἄνευ τῆς ὕλης.* In his *εἰδῶν* manifesto est interpretamentum verborum *τῶν αἰσθητῶν ἄνευ τῆς ὕλης*: sunt enim haec *τὰ εἴδη.* Quum igitur *εἰδῶν* omittatur non solum in codicibus *SUX* sed etiam in primâ editione, non dubitavi expellere. Cf etiam 425ᵇ 23.

§ 5. 424ᵇ 6. Quum in verbis *εἰ δὲ τὸ ὀσφραντὸν ὀσμή* subjectum sit haud dubie *ὀσμή*, non sine causâ aliquis suspicetur legendum esse *ἡ ὀσμή.* Sed vereor ne nimis multi sint loci apud Aristotelem mutandi si hanc ubique sequamur legem.

§ 6. 424ᵇ 17. Scripsi *ἢ τὸ μὲν ὀσμᾶσθαι καὶ αἰσθάνεσθαι*, suscepto *καί* ex codice *E* (Buss.) et e priore editione, quae *αι* habet. Quod *καί* si abest valde desideratur. Postquam enim demonstravit Ar. quomodo res sensu carentes patiantur a rebus sensus ferientibus, v. c. ab odore, jam sese interpellat hac quaestione, quae supra (*B* 5) eâ quâ debuit diligentiâ excussa est: utrum sentiendi actus sit mera passio. Neque id sine causâ quaerit: nam si aër haud minus quam nares ab odore patiuntur, ambigat aliquis an aër etiam odoretur. (Non mirarer si quis Pythagoreus id contendisset.) Respondet igitur Ar.: non eodem modo nares quo aër ab odore afficiuntur: nam odorari est (praeter passionem) etiam

sentire: de sentiendo vero demonstratum est recte quidem passionem praedicari, sed eam tantum passionem quae est *ἐπίδοσις εἰς αὐτὸ καὶ εἰς ἐντελέχειαν*. — Verum quidem est opponi inter se *τὸ αἰσθάνεσθαι* et *τὸ αἰσθητὸν γίνεσθαι*, quorum illud est sensûs, hoc rei intermediae: sed locus qui legitur 425^b 22 sqq. documento est ipsum quoque sensorium quodammodo *αἰσθητόν* fieri: unde colligitur non simpliciter opponi inter se *τὸ αἰσθάνεσθαι* et *τὸ αἰσθητὸν γίγνεσθαι*, ut alterum altero excludatur: sed *τὸ αἰσθάνεσθαι* est et *αἰσθητὸν γίγνεσθαι* et praeterea aliud quid, h. e. propria sensûs actio. Igitur minime inane est illud *καί* quod addidimus. — Ceterum, ne quam difficultatem tacitus praetermisisse videar, fateor me ignorare quid in ultimo versû sibi velit illud *ταχέως* vel, quod prior editio praebet, *ταχύ*.

LIBER TERTIUS.

Arabes *Γ* 1—3 ad librum superiorem adjungunt.

CAPUT PRIMUM.

§ 1—4. 424^b 24. *εἰ*—425^a 13. *αἴσθησις*. Haec unam efficiunt comprehensionem, cujus *ἀπόδοσις* incipit 425^a 11. *ὥστε*: quâ de causâ sustulimus puncta quibus ea antea discerpebatur. Videtur autem post Aristotelem nemo hanc demonstrationem intellexisse: videantur Simplicius, Philoponus, Sophonias, Alexander (in *Ἀπορ. καὶ Λύ. Γϛ*, p. 169 Sp.), Averroës, Iulius Pacius, denique Trendelenburgius. Nec ego intelligo. Videtur autem Ar. sic argumenta nectere. Si omnia corpora quae in hoc mundo sunt eorumque passiones omnes sentimus, aliud vero praeter quatuor illa elementa nullum est nec passio ulla vel affectio quae nullius sit horum elementorum, apparet nullum nobis deesse sensum. — Vides hoc argumentum esse *ἐξ ὑποθέσεως*: cum quâ re congruit quod statim initio dixit *ἐκ τῶνδε πιστεύσειεν ἄν τις*. Propositio prior miro modo demonstratur, sic ferme. Corpora quae sunt in hoc mundo eorumque affectiones sensu percipimus omnia. Nam si deficeret nos aliquis sensus ad ea percipienda natus, deficeret etiam sensorium. At nullum sensorium ad ea percipienda natum deficit nos: ergo objectas quoque sensoriis quae habemus res omnes percipimus. Quâ in demonstratione falsus est Ar., si modo est Aristotelis qualis nunc legitur. Nam ubi actus est, necesse est adsit instrumentum, non vice versâ. — Ea vero plane non intelligo quae leguntur 424^b 31. *εἰ*—34. *χρόας*: nam id si verum esset, sequeretur ut qui oculis orbatus auditum haberet, is etiam colores perciperet.

— Scripsi quidem cum Trendelenburgio *τοῦ δι' ἀμφοῖν*, 425ᵃ 2, quia ea scriptura aliquo modo probabilior videtur alterâ. Attamen tenendum est in universâ hac scribendâ comprehensione nos ariolari magis quam certâ agere et definitâ ratione, quandoquidem summam sententiae non intelligimus. Eandem ob causam nolui expellere quae loco *ἀτοπωτάτῳ* de talpâ dicuntur. Videantur quoque quae de Acheloi piscibus ad 420ᵇ 11. dicta sunt. Nam ubi omnia obscura sunt, praestat quae tradita sunt servasse.

§ 5—7. 425ᵃ 13. *ἀλλὰ μὴν*—30. *ὁρᾶν.* 'At ne communium quidem rerum sensibilium potest sensorium esse proprium, earum dico quas praeterea (*ὧν καὶ ἑκάστῃ*) singulis quibusque sensibus percipimus non per accidens.' De addendâ negatione cf *B* 6: quod caput nisi quis probe intellexerit, non poterit judicium facere de emendandâ hujus loci scripturâ. Cf etiam 425ᵃ 27. *τῶν δὲ κοινῶν ἤδη ἔχομεν αἴσθησιν κοινήν, οὐ κατὰ συμβεβηκός.* Desiderari negationem intellexerunt exegetae, ex quibus Them. *σχεδόν* addit: male. Simplicius *οὐ μὴν ἀληθές* inquit *ὅτι κατὰ συμβεκηκός, ὡς εὐθὺς δείκνυσιν.* Philoponus *ὅρα* inquit *ὡς ἀσαφῶς τὸ κατὰ συμβεβηκὸς εἶπεν.*

Deinde quaeritur num genuinum sit (16.) post *ἀριθμοῦ* vocabulum *ἑνός*, quod in codice *V* omittitur. Is vero liber quum audacissimis interpolationibus scateat atque corruptelis, exigui est momenti, praesertim quum exegetae *ἑνός* legerint omnes. Quod vero in earundem rerum recensu qui *B* 6. instituitur Unum omittitur, id poterat fieri siquidem Unum, quod est numeri elementum, quodammodo in ipso numero continetur. Quid quod de Sensu et Sens. 1. 437ᵃ 9 omittitur etiam *στάσις*, quae est privatio motûs. Hoc vero loco probabile est Aristotelem scripsisse Unum consideranti (19.) *ὁ δ' ἀριθμὸς τῇ ἀποφάσει τοῦ συνεχοῦς καὶ τοῖς ἰδίοις· ἑκάστῃ γὰρ ἓν αἰσθάνεται αἴσθησις.* Nam negatio continui videtur binarium generare numerum, quum corpus corpore tangatur. Unius vero notionem Ar. repetit *ἀπὸ τῶν ἰδίων* quae sensibus objecta sunt: sonus est unum quid, item color, cetera. Cf de Sensu et Sens. 7. 447ᵇ 24.

Versu 16. legebatur *ταῦτα γὰρ πάντα κινήσει αἰσθανόμεθα, οἷον μέγεθος κινήσει . .* Scribendum censeo *ταῦτα γὰρ πάντα κοινῇ αἰσθανόμεθα, οἷον κίνησιν. τὸ δὲ μέγεθος κινήσει . .* Primum enim, quum verba *ταῦτα πάντα* etiam *τὴν κίνησιν* complectantur, ineptum est dicere motionem motione sentiri. Deinde nemo intelligit, si verba qualia ante nos legebantur sana sunt, cur post *οἷον μέγεθος* addatur *κινήσει*: praecedit enim idem vocabulum. Quae quum ita sint, peropportune accidit ut Simplicius post explicatam vulgatam haec scribat: *τὸ δὲ 'καὶ τοῖς ἰδίοις'* (19.) . . . *ἵνα συνάψῃς πρὸς τὸ 'πάντα γὰρ ταῦτα κοινῇ αἰσθανό-*

μεθα᾽ τὸ ‘καὶ τοῖς ἰδίοις᾽: pessime sane quod ad interpretationem attinet, optime ad emendanda Aristotelis verba. Postquam enim ea quae vocat *κοινά* recensuit, simpliciter addit Ar. *ταῦτα γὰρ πάντα κοινῇ αἰσθανόμεθα, οἷον κίνησιν*, quibus simillima sunt quae *B* 6. legimus: *κοινὰ δὲ κίνησις, ἠρεμία, ἀριθμός, σχῆμα, μέγεθος· τὰ γὰρ τοιαῦτα οὐδεμιᾶς ἐστὶν ἴδια ἀλλὰ κοινὰ πάσαις· καὶ γὰρ ἁφῇ κίνησίς τίς ἐστιν αἰσθητὴ καὶ ὄψει.* Cf etiam 425[a] 20. *ὥστε δῆλον ὅτι ἀδύνατον ὁτουοῦν ἰδίαν αἴσθησιν εἶναι τούτων, οἷον κινήσεως*: quo in versu etiam *ὥστε* illud non nihil facit ad confirmandam emendationem quae est *κοινῇ*: nam de *ὥστε* recte dubitavit Trend. quid sibi vellet. Verba autem sic sunt conjungenda: 16. *ταῦτα γὰρ πάντα κοινῇ αἰσθανόμεθα·* (20.) *ὥστε δῆλον ὅτι ἀδύνατον ὁτουοῦν ἰδίαν αἴσθησιν εἶναι τούτων.*

Deinde legebatur (17.) *ὥστε καὶ σχῆμα· μέγεθος γάρ τι τὸ σχῆμα*: quasi *τὰ μεγέθη* dividantur in figuras et alias quasdam res. Id vero omnibus credo notum est *τὰ μεγέθη* ubique Aristoteli esse quas nos vocamus magnitudines extensas sive continuas, nunquam ea numeros complecti. Legendum est *μεγέθους γάρ τι τὸ σχῆμα.* Apparet enim figura in magnitudine extensâ nec est sine illâ: nec vero quaedam *μεγέθη* figurae sunt, alia non sunt.

In iis quae sequuntur duae recensiones confusae sunt: quibus separatis omnia rite procedunt. Quae in posteriore recensione Ar. posuit, haec sunt: *ὥστε δῆλον ὅτι ἀδύνατον ὁτουοῦν ἰδίαν αἴσθησιν εἶναι τούτων, οἷον κινήσεως· οὕτω γὰρ ἔσται ὥσπερ νῦν τῇ ὄψει τὸ γλυκὺ αἰσθανόμεθα. τοῦτο δ᾽ ὅτι ἀμφοῖν ἔχοντες τυγχάνομεν αἴσθησιν, ᾗ καὶ ὅταν συμπέσωσιν ἅμα γνωρίζομεν. τῶν δὲ κοινῶν ἤδη ἔχομεν αἴσθησιν κοινήν, οὐ κατὰ συμβεβηκός· οὐκ ἄρ᾽ ἐστιν ἰδία.* Quae si ad severam artis logicae formam revocamus, haec habebimus:

Definitio. Si quis sensus (v. c. *ἡ ὄψις*) praeter objectum ad quod percipiendum natum est (*τὸ χρῶμα*) etiam aliud percipit objectum (*τὸ γλυκύ*) quod alio sensu (*τῇ γεύσει*) percipitur *καθ᾽ αὑτό*, prior ille sensus alterum illud objectum percipit *κατὰ συμβεβηκός.*

Propositio major. Si est sextus aliquis sensus ad percipienda communia natus, quinque nostri sensus res communes non poterunt percipere nisi *κατὰ συμβεβηκός.*

Propositio minor. Atqui quinque sensus res communes non percipiunt *κατὰ συμβεβηκός* sed per se (*B* 6.).

Conclusio. Ergo nullus est sensus ad percipienda communia natus.

Haec ratio expedita est et facilis. Minus dilucida illa cujus loco Ar. postea hanc posuit. Verba haec sunt: *ὥστε δῆλον ὅτι ἀδύνατον ὁτουοῦν ἰδίαν αἴσθησιν εἶναι τούτων, οἷον κινήσεως· εἰ δὲ μή,*

οὐδαμῶς ἂν ἀλλ' ἢ κατὰ συμβεβηκὸς ᾐσθανόμεθα, οἷον τὸν Κλέωνος υἱὸν οὐχ ὅτι Κλέωνος υἱὸς ἀλλ' ὅτι λευκός, τούτῳ δὲ συμβέβηκεν υἱῷ Κλέωνος εἶναι. τῶν δὲ κοινῶν ἤδη ἔχομεν αἴσθησιν κοινήν, οὐ κατὰ συμβεβηκός· οὐκ ἄρ' ἔστιν ἰδία· οὐδαμῶς γὰρ ἂν ᾐσθανόμεθα ἀλλ' ἢ οὕτως ὥσπερ εἴρηται. Quae ut recte intelligantur, primum tenendum est exemplum quod est de filio Cleonis sic fere esse interpretandum: *οἷον τὸν Κλέωνος υἱὸν οὐχ ὁρῶμεν ὅτι Κλέωνος υἱὸς ἀλλ' ὅτι λευκός, τῷ δὲ λευκῷ συμβέβηκεν υἱῷ Κλέωνος εἶναι· ὥστε κατὰ συμβεβηκὸς ἂν ὁρῷμεν τὸν Κλέωνος υἱόν.* Cf 418ª 20. *κατὰ συμβεβηκὸς δὲ λέγεται αἰσθητόν, οἷον εἰ τὸ λευκὸν εἴη Διάρους υἱός· κατὰ συμβεβηκὸς γὰρ τούτου αἰσθάνεται, ὅτι τῷ λευκῷ συμβέβηκε τοῦτο οὗ αἰσθάνεται.* — Deinde sive est sive non est rerum communium sensus peculiaris, nihilo minus sensus suum quisque objectum percipient: quodsi dicit Ar. *οὐδαμῶς ἂν ἀλλ' ἢ κατὰ συμβεβηκὸς ᾐσθανόμεθα*, haec non possunt significare fore ut oculus non percipiat colorem, quem *καθ' αὑτό* percipit, sed hoc dicit: sensus praeter id quod proprium cujusque objectum est, *τὸ ἴδιον*, nihil perciperent nisi rei subjectae existentiam, non perciperent res communes. — Jam interpretemur locum propositum. Objectorum, ait, omnibus sensibus communium non potest esse sensus peculiaris. Nam si esset (*εἰ δὲ μή*, cf Krügeri Gr. Gr. § 65, 5, 12.), ceteris sensibus praeter id quod proprium est cujusque nihil relinqueretur percipiendum nisi existentia substantiae cujus illi quasdam qualitates percipiunt per se. Id quod aliter esse notum est: percipimus enim quinque nostris sensibus non tantum *τὰ ἴδια*, quae *καθ' αὑτό* percipimus, et id quod *κατὰ συμβεβηκός* percipimus, dico autem substantiam, sed etiam *τὰ κοινά*, quae *καθ' αὑτά* percipi definivimus. Unde consequitur ut rerum communium sensus peculiaris, si esset, supervacaneus esset. — Vides summam rei sitam esse in notione supervacanei, *τοῦ μάτην*, quae quamquam non ponitur animo scribentis obversabatur. Quam ob rem quum minus perspicua esset haec demonstratio, hoc Aristoteli in causâ videtur fuisse cur eam reprobaret ejusque loco aliam poneret eamque multo faciliorem. Praeterea vero eo nomine non immerito illam demonstrationem aliquis reprehendat quod ad rem obscuram illustrandam usus sit Ar. re etiam obscuriore, dico autem existentiam subjecti per sensum perceptam: notius enim et manifestius multo est alterum exemplum, *τῇ ὄψει τὸ γλυκὺ αἰσθάνεσθαι*: h. e. *τῇ ὄψει αἰσθανόμεθα τὸ ξανθόν, ᾧ συμβέβηκε μέλιτι εἶναι· τούτῳ δὲ συμβέβηκε γλυκεῖ εἶναι.* Itaque dulce quod videmus accidentis est accidens: nihilo tamen minus hoc facilius intelligitur quam simplex accidens, *τὸ λευκὸν ᾧ συμβέβηκεν υἱῷ Κλέωνος εἶναι.* De hac re videantur Anal. Post. *Α* 22, ubi ostendit non

solum dici: lignum est album, sed etiam: Album illud est lignum: *εἰ δὴ δεῖ νομοθετῆσαι, ἔστω τὸ οὕτω λέγειν* (lignum est album) *κατηγορεῖν, τὸ δ' ἐκείνως μηδαμῶς κατηγορεῖν, ἢ κατηγορεῖν μὲν μὴ ἁπλῶς, κατὰ συμβεβηκὸς δὲ κατηγορεῖν.* Cf ibid. 19. 81ᵇ 25. et Prior. *A* 27. 43ᵃ 35.

Adduntur in fine post *εἴρηται* verba *τὸν Κλέωνος υἱὸν ἡμᾶς ὁρᾶν*: quod sine dubio interpretamentum est verborum *οὕτως ὥσπερ εἴρηται.* Quodsi quis quaerit anne etiam verba *οὐδαμῶς γὰρ ἂν ᾐσθανόμεθα ἀλλ' ἢ οὕτως ὥσπερ εἴρηται* inutilis sit repetitio, nego. Postquam enim exemplo illustravit quid sit *τὸ κατὰ συμβεβηκὸς αἰσθάνεσθαι,* minime superfluum erat vel potius necessarium revocare legentis mentem ad ea verba quae in hac re potissima sunt.

Aliud nihil novavi nisi quod pro *ἀναγνωρίζομεν* (24.) scripsi *ἅμα γνωρίζομεν,* collatis 425ᵃ 30—ᵇ 3.

Haec hactenus. Fateor tamen in hac re me mihi non satisfecisse. Id quidem recte mihi videor vidisse, duas recensiones ejusdem demonstrationis esse, non unam: quod ut credam adducor primum propter inextricabilem hujus loci confusionem, quae nullo alio modo potest explicari: (videantur modo interpretes graeci, arabes, germani:) deinde quod duobus utitur Ar. exemplis ejus quod est *κατὰ συμβεβηκὸς αἰσθάνεσθαι*: cujus rei rationem reddere non possumus nisi suppositis duabus ejusdem argumenti recensionibus. Atque ea quidem recensio quam posteriorem esse diximus omnibus numeris absoluta est, dilucida, brevis, elegans. Altera vero recensio adeo mihi displicet ut vix dignam esse arbitrer quae ab Aristotele scriberetur, ne tum quidem quum opus profligaret. Videant alii.

§ 7. 425ᵃ 31. Legebatur *οὐχ ᾗ αἱ αὐταί,* sensu nullo. Aristoteles dicit *αἱ αἰσθήσεις αἰσθάνονται τὰ ἀλλήλων ἴδια οὐχ ᾗ αὐταί,* (h. e. *ἡ ὄψις ᾗ ὄψις, ἡ γεῦσις ᾗ γεῦσις,* vel ut uno verbo dicam *ᾗ τοιαύτη,*) *ἀλλ' ᾗ μία,* h. e. quatenus omnes sensus in sensum communem desinunt.

§ 8. 425ᵇ 6. *εἰ*—9. *μέγεθος.* Ar. ostendit quem ad finem plus uno sensu habeamus. Etenim si solum visum haberemus, quoniam color semper in re extensâ apparet, accideret ut idem putaremus esse colorem et rem extensam vel rei extensionem. Nunc vero, quia etiam tactu rem extensam percipimus, scimus colorem a re in quâ apparet esse diversum. — Legebatur *εἰ γὰρ ἦν ἡ ὄψις μόνη, καὶ αὐτὴ λευκοῦ, ἐλάνθανεν ἂν μᾶλλον καὶ ἐδόκει ταὐτὸ εἶναι πάντα διὰ τὸ ἀκολουθεῖν ἀλλήλοις ἅμα χρῶμα καὶ μέγεθος*: verbis et interpolatis et corruptis. Nam si solo visûs sensu praediti essemus, nec sequeretur *ἐκ τῶν κειμένων* nec ad demonstrationem necessarium vel etiam utile esset ut visus nullum colo-

rem perciperet nisi album. Taceo de pronomine *αὐτή*: posses enim facili negotio *αὕτη* scribere. Verum haec non sunt Aristotelis. — Deinde et abundat *ἅμα* post *ἀκολουθεῖν* et desideratur notio in hac re summi momenti ac prorsus necessaria: nam hanc solam ob causam quod s e m p e r magnitudo conjuncta appareret cum colore, ideo visus si solus esset falleretur. Qua de causâ *ἅμα* in *ἀεί* mutandum est. Saepe etiam *πάντα* in suspicionem mihi venit an in *ταῦτα* esset mutandum: *κἂν ἐδόκει ταὐτὸ εἶναι ταῦτα*, h. e. unâ ex parte *τὸ τῆς μιᾶς αἰσθήσεως ἴδιον*, alterâ ex parte *τὰ κοινά*. Sed ne emendandi studio abreptus corrupisse videar atque interpolasse Aristotelem, nihil de eâ re definio.

CAPUT SECUNDUM.

§ 1. 425ᵇ 15. *ἔτι*—17. *ποιητέον*. *Ἡ* articulus necessario addendus erat in his: *εἰ καὶ ἑτέρα εἴη ἡ τῆς ὄψεως αἴσθησις*, h. e. *εἰ ἡ τῆς ὄψεως αἴσθησις ἑτέρα εἴη τῆς αἰσθήσεως τῆς τοῦ ὑποκειμένου χρώματος*. — Res illustratur de Sensu et Sens. 2. 437ᵃ 26sqq. — Corruptum esse *ποιητέον* nulli dubium est: quid vero ejus loco Ar. scripserit ambigi potest. Trendelenburgius fertur voluisse *θετέον*, id quod Brandisius me docuit, Aristot. II. p. 1119. not. 129: ac non solum *τιθέναι* innumeris prope locis sic usurpatum invenitur sed etiam ipsum *θετέον* saepe: 104ᵃ 5. 168ᵇ 20. 1098ᵃ 6. 1100ᵃ 12. 1143ᵇ 28. 1146ᵇ 10. al. Idne igitur scribendum sit dubito an *δοτέον*, quo vocabulo bis utitur Simplicius ubi hunc locum interpretatur. Themistius *συγχωρεῖν* habet: *τί δή ποτε τοῦτο οὐχὶ καὶ τῇ ὄψει αὐτῇ συγχωρεῖ; Συγχωρεῖν* vero notum est esse synonymum verbi *διδόναι*, Met. *Γ* 4. 1006ᵃ 24. coll. 26. Ad sententiam facilius videtur *θετέον*, a literis traditis paulo propius abest *δοτέον*. *Ἐπέχω*.*)

---

*) Ceterum universa haec Aristotelis ratio jam apud antiquos invenit qui contradicerent. Joannes Philopon. O, v r⁰: *Ἀλέξανδρος δὲ ἐν τῷ ὑπομνήματι τὰς μὲν πέντε αἰσθήσεις τῶν ὑποκειμένων αὐταῖς αἰσθητῶν βούλεται εἶναι ἀντιληπτικάς, τὴν δὲ κοινὴν αἴσθησιν εἶναι βούλεται καὶ τῶν ὑποκειμένων καὶ τῶν ἐνεργειῶν αὐτῶν ἀντιληπτικήν. Πλούταρχος δὲ* (Atheniensis) *λογικῆς ψυχῆς ἔφη εἶναι ἔργον τὸ γνῶναι τὰς ἐνεργείας τῶν αἰσθήσεων. φησὶ γὰρ ὅτι κατὰ τὸ ἄτιμον μέρος τῆς λογικῆς ψυχῆς, ὅπερ ἐστὶν ἡ δόξα,* (loquitur Platonicus,) *τοῦτο γίνεται .... οἱ δέ γε νεώτεροι ἐξηγηταί, μήτε τὴν Ἀλεξάνδρου καταιδεσθέντες ὀφρὺν μήτε Πλουτάρχῳ πειθόμενοι, ἀλλὰ καὶ αὐτὸν Ἀριστοτέλη ἀπωσάμενοι, νεωτέραν ἐφεῦρον ἐξήγησιν. φασὶ γὰρ ὅτι τοῦ π ρ ο σ ε κ τ ι κ ο ῦ μ έ ρ ο υ ς* (ut Herbartius) *τῆς λογικῆς ψυχῆς ἐστὶ τὸ ἀντιλαμβάνεσθαι τῶν ἐνεργειῶν τῶν αἰσθήσεων . . . καὶ λέγει ἐγὼ ἐνόησα, ἐγὼ διενοήθην, ἐγὼ ἐδόξασα, ἐγὼ ἐθυμώθην, ἐγὼ ἐπεθύμησα. ἁπλῶς τοῦτο .. διὰ πασῶν τῶν δυνάμεων δίεισιν.* — Quid quod alio loco Ar. negat sensum ipsum sentire se sentire: *οὐ γὰρ δὴ τῇ γε ὄψει ὁρᾷ ὅτι ὁρᾷ*, idque negotium communi attribuit sensui: *ἔστι δέ τις καὶ κοινὴ δύναμις*

§ 3. 425ᵇ 22. *Κέχρωσται*, quod *T* praebet, per se quidem non est reprehendendum, cf Top. *B* 2. 109ᵇ 3. 8. 10. Sed vide de Sensu et Sensili 3. 439ᵇ 1. 2.

§ 4. 425ᵇ 27. Legebatur *οἷον ψόφος ὁ κατ' ἐνέργειαν καὶ ἀκοὴ ἡ κατ' ἐνέργειαν*: si sola verba spectas, elegantissime. Sed non sine causâ melioris notae libri articulos addunt ante *ψόφος* et *ἀκοή*. Non enim hoc dicere vult Ar., omnem sonum idem esse atque omnem auditum, sed cuique sono auditum quemque respondere eosque, ut Aristotelis more loquar, non *εἴδει ταὐτὸ* esse, sed *ἀριθμῷ*, ita tamen ut *τὸ εἶναι* sit *ἕτερον*. Cf hujus paginae versus 31 et 426ᵃ 3. De Sensu et Sens. 3. 439ᵃ 14. et ibid. 7. 447ᵇ 13: *ἑνὸς μὲν γὰρ ἀριθμῷ ἡ κατ' ἐνέργειαν μία* (int. *αἴσθησις*), *εἴδει δ' ἡ κατὰ δύναμιν μία.*

§ 5—6. 426ᵃ 2. *εἰ*—15. *ἀνώνυμος*. Versu 2. *δή* scribendum erat, quia nova instituitur quaestio, quae est de eo in quo fiat sensatio. — Ceterum bis in his idem dici non erit credo qui neget. Ut in omnibus his locis geminatis, ea quae ad priorem editionem pertinent posita sunt post secundae editionis verba: sed hoc quidem loco illa paulo inferius illata sunt: verba enim 6. *ἡ μὲν*—8. *ψόφος* media interjecta sunt: unde factum est ut verba 11. *ἀλλ' ἐπ' ἐνίων κτἑ.* foede distraherentur ab iis verbis quae ab illis excipiuntur 8. *ὁ δ' αὐτὸς λόγος καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων αἰσθήσεων καὶ αἰσθητῶν.* Perturbationis factae indicium etiam hoc est quod (9.) quidam libri *ὥσπερ γάρ* habent, alii *καὶ ὥσπερ*, alii *ὥσπερ γὰρ καί.*

§ 9. 426ᵃ 27. *εἰ*—29. *εἶναι.* Sine dubio *ἡ συμφωνία* subjicitur, praedicatur *φωνή τις*. Negari quidem non potest, si quis nihil spectet nisi formam logicam, hoc enunciatum vitio laborare: de qua re videantur interpretes. Sed si ipsam rem spectas, difficultas facili negotio tollitur. Concentus enim ultimum atque supremum est ad quod percipiendum possit auditus adscendere, ideoque maxime est *κατὰ φύσιν.* Igitur Ar. nihil dicit nisi hoc: quandoquidem auditus concentum percipere potest, concentus vero ratio quaedam est, sequitur ut intima auditûs natura et ipsa sit ratio quaedam. — Hanc hujus loci interpretationem, quamquam veram esse

---

ἀκολουθοῦσα πάσαις, ᾗ καὶ ὅτι ὁρᾷ καὶ ἀκούει καὶ αἰσθάνεται: ubi miror ultimum *καί* non esse a Bekkero deletum, praesertim quum et *LU* libri omittant et *EY* cur ponant facile intelligatur: omittunt enim hi illud *καί* quod ante *κοινή* in ceteris invenitur, frequenti in corrigendo errore. Leguntur autem haec in libelli qui est de Somno et Vigiliâ capite altero, 455ᵃ 15—17. Hic locus non praetermittendus est si quis de tempore quaerere velit quo libri quique Aristotelis sint conscripti: tempus autem dico non annum sed *τὸ πρότερον καὶ ὕστερον* et seriem: annus enim in paucissimis aliquatenus potest definiri ac circumscribi. Quod vero attinet ad Parva Naturalia, videntur mihi ea magnâ ex parte scripta esse multis annis ante libros qui sunt de Animâ: de Animâ libros dico quos nunc habemus.

credo, argumentis confirmare non possum quia tam pauca de concentu apud Aristotelem. Maxime huc spectant quae legimus 424ᵃ 28—32. Conferantur etiam quae mox dicemus ad 426ᵇ 3—8. — Porro legebatur *ἔστιν ὡς ἕν ἐστι καὶ ἔστιν ὡς οὐχ ἓν τὸ αὐτό*: in quibus *τὸ αὐτό* esse interpretamentum vocabuli *ἕν* et ex insolitâ atque inauditâ copulatione apparet, *ἓν τὸ αὐτό*, et collatâ scripturâ quorundam codicum *ἔστιν ὡς οὐχ ἓν ἢ οὐ τὸ αὐτό*. Sed nondum consistendum est. Nam ad demonstrationem efficiendam facit aliquantum quod dicit *ἔστιν ὡς ἕν ἐστι*: atque sic veritati satisfactum est. Sed a proposito alienum erat addere *καὶ ἔστιν ὡς οὐχ ἕν ἐστιν*: nam etiamsi id verum est, tantum abest ut demonstrationem institutam adjuvet ut legentis mentem impediat et a re propositâ avertat.

§ 9. 426ᵇ 3. *διὸ*—8. *φθείρει.*] Quum sensus sit ratio quaedam, sequitur ut maxime accommodatum sit ad sensum id quod in sonis vocamus concentum sive *συμφωνίαν*: cui rei quod *τῇ ἀναλογίᾳ ταὐτό* est observatur etiam in ceteris rebus sensibilibus, siquidem etiam in illis apparet quaedam proportio partium et inter se et ad totum relatarum. Quia vero concentus (et *τὸ ἀνάλογον*) maxime *κατὰ φύσιν* est sensibus, etiam voluptate eos afficit maxime atque magis quam eae res ex quibus componitur. Id Ar. demonstrat exemplo allato gustatûs, qui sensus etiam hebetissimo cuique familiaris est. Dicit autem sapores esse jucundissimos *ὅταν εἰλικρινῆ καὶ ἀμιγῆ ὄντα ἄγηται εἰς τὸν λόγον*, quia nimirum si simplicia sint elementa, id quod ex iis componitur simplicem habeat rationem ac numerum qui facili negotio a sensu percipiatur: *ἡδέα γὰρ τότε*. Sed etiamsi numerus non sit simplex et *εὐσύνοπτος*, tamen dicit in universum (*ὅλως*) res aliquo modo mixtas et temperatas jucundiores esse quam res puras merasque: *ὅλως δὲ μᾶλλον τὸ μικτόν* (int. *ἡδύ*). Cf de Sensu et Sens. 3. 440ᵇ 18—20. 439ᵇ 25—440ᵃ 6. Item ejusdem libri capitis quarti particulam eam quae huc pertinet, 442ᵃ 2—29, non sine fructu leges. Neque est obscurum cur Ar. *τῷ μικτῷ* majorem attribuat dignitatem: magis enim *ἐντελεχείᾳ* est, siquidem rerum quae mixtionem ineunt altera formae altera materiae locum tenet: de Gen. et Corr. *Α* 10. — Corruptela quae libris scriptis inest initium sumsit a vocabulo *συμφωνία*: quum enim ad verba *ὅλως δὲ μᾶλλον τὸ μικτόν* ex praegressis mente repetendum esset *ἡδύ ἐστιν*, qui id non intellexisset lector aliquis in margine adscripsit *συμφωνία*: quod postquam in Aristotelis verba fuit receptum, alius videtur addidisse *ἢ τὸ ὀξὺ ἢ βαρύ*: unde hanc praeclaram lucramur sententiam: aliquid mixtum magis est mixtio (nam *ἡ συμφωνία* est *μῖξίς τις)* quam quod non mixtum sit (*τὸ ὀξὺ ἢ βαρύ*). Cf de Sensu et Sens. 7. 447ᵇ 2. *ἐξ ὀξέος καὶ βαρέος συμφωνία.* Sed etiam latius serpsit corruptela: sic enim pergit miser interpolator: *ἁφῇ* (vel *ἁφὴ*) *δὲ τὸ*

ϑερμαντὸν (al. ϑερμαντικὸν) ἢ ψυκτόν (al. ψυκτικόν): quae verba omni sensu carent. Volebat fortasse tale quid: ἁφῇ δὲ τὸ μικτὸν (vel potius temperatum) ἥδιον τοῦ ϑερμοῦ καὶ τοῦ ψυχροῦ.

§ 11. 426ᵇ 16. ἀνάγκη γὰρ ἂν ἦν] In his omittebatur ἂν particula: quam in codice *W* oblatam orationi nos addidimus. Ar. hoc dicit: quo calidum et album distinguimus, id unum sit necesse est. Jam pone carnem esse ultimum (sive immediatum) tactûs instrumentum: sequetur ut oculus, quum album videt, nullo interjecto medio tangere debeat rem albam. Nam quo discernimus album a calido, id unum est: rem calidam vero tangendo sentit id quod sentit: necesse igitur erit ut etiam albam rem idem illud quod sentit tangendo sentiat. At notum est nos non videre quum rem ipso oculi tangimus. Ergo caro non est id in quo habitat tactus, sed medii locum tenet. Cf *B* 11, et imprimis 423ᵇ 20—26.

§ 11. 426ᵇ 21. 'Λέγει ἄρα τὸ αὐτὸ .. adeo iners et otiosa repetitio ut vel e margine in textum irrepsisse vel aliud quod corruptum sit in se absconditum habere censeam.' Haec Trend.: utinam ne displiceat viro egregio nova quam instituimus ratio ad otiosas has atque inertes repetitiones et removendas et explicandas.

§ 12. 426ᵇ 24. In his alii libri ἑνί omittunt alii ἕν. Utrumque sincerum est, id quod et universa loci ratio ostendit et praeterea verba tum quae praecedunt tum quae sequuntur. Nam et sequitur τὸ αὐτό, quod necessarie unum est, et οὐχ οἷόν τε κεχωρισμένοις κρίνειν, quod praecedit, idem valet atque ἑνί τινι ἀνάγκη κρίνειν. Idem in conclusione apparet (28.): ὥστε ἀχώριστον καὶ ἐν ἀχωρίστῳ χρόνῳ.

§ 13. 426ᵇ 31. Legebatur εἰ γὰρ τὸ γλυκύ. Omisimus articulum: praedicatur enim dulce, non subjicitur: εἰ γὰρ γλυκύ (ἐστι τὸ αἰσϑητόν), ὡδὶ κινεῖ ..

§ 13—14. 427ᵃ 2. ἆρ' οὖν—9. νόησις. Universus locus qui ab 426ᵇ 12. ἐπεὶ ad finem hujus capitis pertinet optime illustratur ultimo capite libelli qui est de Sensu et Sensili, idque quaeso diligenter excutias. Potest enim intelligi, quamvis non immune sit ab corruptelis: e quibus has possum corrigere: 447ᵃ 29. γίνεταί τι: l. γίνεται ἕν τι. 447ᵇ 1. ὧν τὰ ἔσχατα ἕν: l. ὧν τὰ ἔσχατα ἐναντία. 448ᵃ 16. τοῦ μέλανος, l. τοῦ λευκοῦ. 448ᵃ 17. πλεῖον ἔτι τῷ εἴδει διαφέρει: dele τῷ εἴδει. ibidem ἢ τὸ λευκόν; lege aut ἢ τὸ μέλαν aut ἢ τοῦ πικροῦ. — Redeo ad locum quem initio significavi tractandum esse. Est autem quartus ex iis quos geminos occurrere dicimus. Sicut in ceteris, priore loco ponuntur verba posterioris editionis, posteriore loco verba prioris editionis. Quaerit igitur Ar. an ita solvi possit difficultas proposita ut dicamus animam contraria vel diversa simul sentientem ac discernentem esse quidem illam unam numero nec diversam loco, notione vero differre. Negat:

ἢ οὐχ οἷόν τε, quia actu sentiat anima nec possit actu contraria esse. — Quod si conferes duas ejusdem sententiae recensiones, invenies omnia esse eadem, eadem vero ita ut prior editio priore loco ponat (*τῷ εἶναι μὲν γὰρ διαιρετόν*) quod editio posterior ponit loco posteriore (*τῷ εἶναι δὲ κεχωρισμένον*) et vice versâ (*τόπῳ δὲ καὶ ἀριθμῷ ἀδιαίρετον*, collatis *ἅμα μὲν καὶ ἀριθμῷ ἀδιαίρετον καὶ ἀχώριστον*). Ceterum non est obscurum cur Ar. in alterâ editione hunc locum retractaverit. Nam ad proponendam rationem quam mox ipse redargueret multo aptior erat interrogativa forma (*ἆρ᾽ οὖν*) quam affirmativa (*ἔστι δή*). — Hactenus de universâ hujus loci conformatione. Quod ad singula attinet, v. 6. legebatur *δυνάμει μὲν γὰρ τὸ αὐτὸ καὶ ἀδιαίρετον τἀναντία*: in quibus quod *διαιρετόν* addidi ante *καὶ ἀδιαίρετον*, omisso *τἀναντία*, interpretamento illo manifesto, nolo id quidem defendere, ne legentium judicio minus confisus esse videar. Deinde vero (7.) nisi fallor sic scripsit Ar.: *ἀλλὰ τῷ ἐνεργεῖσθαι διαιρεῖται*, non *διαιρετόν*: hoc enim nimis vergit ad potentiam, quum omnis sententiae vis sita sit in notione actûs.

§ 15. 427ª 9. *ἀλλ᾽* — 14. *ἅμα*. Quintus hic est locus geminus: quem ex duabus ejusdem sententiae recensionibus esse compositum extra omnem dubitationem positum est. Nam utraque recensio binis membris constat, quae continentur his retinaculis: *ᾗ μὲν οὖν* — *ᾗ δέ*: continentur dico bina inter se: verum altero posito pari alteri pari locus non est. Quis enim sic scribit: *ᾗ μὲν οὖν . . ᾗ δέ . .*, *ᾗ μὲν οὖν . .*, *ᾗ δὲ . .*? Atque uti verba, ita sententiae quoque omnibus numeris eaedem sunt. Nam quae in priore recensione secundo loco posita inveniuntur, ea in posteriore recensione loco priore, et vice versâ, sic: *ᾗ ὡς δυσὶ χρῆται τῷ πέρατι, δύο κρίνει, καὶ κεχωρισμένα ἔστιν ὡς κεχωρισμένῳ* = *ᾗ διαιρετὸν ὑπάρχει, οὐχ ἕν· δὶς γὰρ τῷ αὐτῷ χρῆται σημείῳ ἅμα*: deinde *ᾗ ἕν, ἑνὶ καὶ ἅμα* = *ᾗ ἀδιαίρετον, ἓν τὸ κρῖνόν ἐστι καὶ ἅμα*. — Transeamus ad singula. Legebatur 12. *ᾗ δὲ διαιρετὸν ὑπάρχει, δὶς τῷ αὐτῷ χρῆται σημείῳ ἅμα*: quod quum ferri possit, praeferendum tamen duxi quo codicum vestigia ferebant *ᾗ δὲ διαιρετὸν ὑπάρχει, οὐχ ἕν· δὶς γὰρ τῷ αὐτῷ χρῆται σημείῳ ἅμα*. — Quod vero (13.) legitur *ᾗ μὲν οὖν δυσὶ χρῆται τῷ πέρατι*, non dubito quin *ὡς* exciderit ante *δυσί*: idque restituendum erit Aristoteli si forte posthac in aliquo libro scripto invenietur. Phys. Θ 8. 262ª 19 — 21. ᵇ 25. *κέχρηται τῷ ἑνὶ σημείῳ ὡς δύο.* 263ª 23. *ἂν γάρ τις τὴν συνεχῆ διαιρῇ εἰς δύο ἡμίση, οὗτος τῷ ἑνὶ σημείῳ ὡς δυσὶ χρῆται· ποιεῖ γὰρ αὐτὸ ἀρχὴν καὶ τελευτήν. οὕτω δὲ ποιεῖ ὅ τε ἀριθμῶν καὶ ὁ εἰς τὰ ἡμίση διαιρῶν.* Δ 12. 220ª 4. *καὶ συνεχής τε δὴ ὁ χρόνος τῷ νῦν καὶ διῄρηται κατὰ τὸ νῦν· ἀκολουθεῖ γὰρ καὶ τοῦτο τῇ φορᾷ καὶ τῷ φερομένῳ· καὶ γὰρ*

ἡ κίνησις καὶ ἡ φορὰ μία τῷ φερομένῳ ὅτι ἕν, καὶ οὐχ ὅ ποτε ὄν,*) (καὶ γὰρ ἂν διαλίποι,) ἀλλὰ τῷ λόγῳ. καὶ γὰρ ὁρίζει τὴν πρότερον καὶ ὕστερον κίνησιν τοῦτο. ἀκολουθεῖ δὲ καὶ τοῦτό πως τῇ στιγμῇ· καὶ γὰρ ἡ στιγμὴ καὶ συνέχει τὸ μῆκος καὶ ὁρίζει· ἔστι γὰρ τοῦ μὲν ἀρχὴ τοῦ δὲ τελευτή. ἀλλ' ὅταν μὲν οὕτω λαμβάνῃ τις, ὡς δυσὶ χρώμενος τῇ μιᾷ, ἀνάγκη ἵστασθαι εἰ ἔσται ἀρχὴ καὶ τελευτὴ ἡ αὐτὴ στιγμή.

CAPUT TERTIUM.

§ 1. 427ª 17. *ἐπεὶ δὲ δύο διαφοραῖς ὁρίζονται μάλιστα τὴν ψυχήν, κινήσει τε τῇ κατὰ τόπον καὶ τῷ κρίνειν καὶ νοεῖν καὶ αἰσθάνεσθαι* .. Haec esse imperfecta recte observaverunt editores basileenses, et quum Argyropulus addat 'considerandum est siquid intersit inter intelligere et sentire', ea illi graece non male verterunt sic: *σκεπτέον εἴ τι διαφέρει τὸ νοεῖν τοῦ αἰσθάνεσθαι.* Videntur autem excidisse haec propter homoeoteleuton. — Porro *τῷ κρίνειν* primo loco scripsi, quia *τὸ κρίνειν* est quasi quoddam genus *τοῦ νοεῖν* et *τοῦ αἰσθάνεσθαι* (20. *ἐν ἀμφοτέροις γὰρ τούτοις κρίνει τι ἡ ψυχὴ καὶ γνωρίζει τῶν ὄντων,*) quorum discrimen exponitur deinde. Cf 432ª 15. *ἐπεὶ δὲ ἡ ψυχὴ κατὰ δύο ὥρισται δυνάμεις ἡ τῶν ζῴων, τῷ τε κριτικῷ, ὃ διανοίας ἔργον ἐστὶ καὶ αἰσθήσεως, καὶ ἔτι τῷ κινεῖν τὴν κατὰ τόπον κίνησιν, περὶ μὲν αἰσθήσεως καὶ νοῦ διωρίσθω τοσαῦτα.* de Somn. 1. 458ᵇ 1. *πότερον τοῦ νοητικοῦ τὸ πάθος ἐστὶ τοῦτο ἢ τοῦ αἰσθητικοῦ· τούτοις γὰρ μόνοις τῶν ἐν ἡμῖν γνωρίζομέν τι.* Themistius: *ἐπειδὴ δέ φαμεν οὐκ αἰσθήσει μόνον γνωρίζειν καὶ κρίνειν, ἀλλὰ καὶ λόγῳ καὶ διανοίᾳ, τί ἂν διαφέροι τὰ κριτήρια ταῦτα ἀλλήλων σκεπτέον ἐφεξῆς.* Simplicius: *καὶ τῷ κατὰ τόπον κινητικῷ .. τὸ κριτικὸν ἀντιτιθείς, ἐν τούτῳ τὸ αἰσθάνεσθαι καὶ τὸ νοεῖν συνείληφεν.* Philoponus: *ἰστέον δὲ ὅτι τὸ κρίνειν ὡς κοινότερον ἔλαβε . . . τὸ δὲ νοεῖν . . τὸ δὲ αἰσθάνεσθαι . .*

§ 7. 428ª 10. Legebatur *δοκεῖ δ' οὔ, οἷον μύρμηκι ἢ μελίττῃ ἢ σκώληκι.* Haec igitur animalia negat Ar. *φαντασίᾳ* praedita esse. Cf 434ª 4—5. At apis certe et formica, prudentissima animalia, ex tam ignobili societate removenda sunt. *Τῷ σκώληκι* quidem vix erit qui *φαντασίαν* tribuat: loco enim est analogiâ eodem quo ovum: de Gener. Anim. *B* 1. 732ª 25. *τῶν δὲ ζῴων τὰ μὲν τελεσιουργεῖ καὶ ἐκπέμπει θύραζε ὅμοιον ἑαυτῷ, οἷον ὅσα ζῳοτοκεῖ εἰς τοὐμφανές, τὰ δὲ ἀδιάρθρωτον ἐκτίκτει καὶ οὐκ*

---

*) Quid sit *ὅ ποτε ὄν* docui in Museo Rhenano (Rhein. Mus. f. Philol. N. F. XII. S. 161.). Ad locos ibi laudatos accedunt, quos postmodum inveni, hi: de Part. An. *B* 2. 649ª 14. *B* 3. 649ᵇ 24.

ἀπειληφὸς τὴν αὑτοῦ μορφήν. τῶν δὲ τοιούτων τὰ μὲν ἔναιμα ᾠοτοκεῖ, τὰ δ' ἄναιμα σκωληκοτοκεῖ. διαφέρει δ' ᾠὸν καὶ σκώληξ· ᾠὸν μὲν γάρ ἐστιν ἐξ οὗ γίνεται τὸ γινόμενον ἐκ μέρους, τὸ δὲ λοιπόν ἐστι τροφὴ τῷ γινομένῳ (l. *γενομένῳ*), *σκώληξ δ' ἐξ οὗ τὸ γινόμενον ὅλον ὅλον γίνεται.* ^{b} 10—14. Hist. Anim. *Α* 5. 489^b 6—10. *Ε* 19. 550^b 28—30. 552^a 8—10. Vides infimum ferme in animalibus locum obtinere *τοὺς σκώληκας*: sunt enim animalia alia aliis quum perfectiora in universum tum etiam prudentiora: Eth. Nic. *Ζ* 7. 1141^a 26—28. Hist. An. *Α* 1. 488^a 7—10. de Part. Anim. *Β* 2. 648^a 5—8. ibid. 4. 650^b 24—27. Rectene igitur factum est quod loco nostro videmus fieri, ut apis et formica adeo dicantur omni acumine destitutae ut ne *φαντασία* quidem insit, quum ceteris locis et *φρόνιμα* vocentur *ζῷα* et *πολιτικά* et cum ipso homine componantur? Ac Bonitzium quidem adeo video nostro loco esse commotum ut (in Commentario in Metaph. conscripto, p. 39.) videretur sibi agnoscere dubitationem quam et de majoribus rebus et de minoribus saepe reperiri apud Aristotelem affirmat. Debebat sane vir egregius de scripturâ potius hujus loci dubitare ipse quam de Aristotelis constantiâ, praesertim quum haec res in observatione magis rerum naturalium, quâ summus est Ar., quam in opinatione aliquâ et divinatione sita sit. Quum bestiae neque *δόξαν* habeant neque *νοῦν* (429^a 6. 434^a 5 sqq. Hist. An. *Α* 1. 488^b 24.), quâ tandem animi facultate efficitur artificiosa illa ac mirabilis illorum animalium vita si ne memoriâ quidem praedita sunt? quae sine specie perceptâ esse non potest: videatur de Memor. cap. 1, ex quo haec apponimus: 450^a 22. *τίνος μὲν οὖν τῶν τῆς ψυχῆς ἐστὶν ἡ μνήμη, φανερόν, ὅτι οὗπερ καὶ ἡ φαντασία· καὶ ἔστι μνημονευτὰ καθ' αὑτὰ μὲν ὅσα ἐστὶ φανταστά, κατὰ συμβεβηκὸς δὲ ὅσα μὴ ἄνευ φαντασίας.* ibid. 30. *ἡ γὰρ γινομένη κίνησις* (h. e. *ἡ φαντασία*, coll. 429^a 1—2.) *ἐνσημαίνεται οἷον τύπον τινὰ τοῦ αἰσθήματος, καθάπερ οἱ σφραγιζόμενοι τοῖς δακτυλίοις.* 451^a 14. *τί μὲν οὖν ἐστὶ μνήμη καὶ τὸ μνημονεύειν, εἴρηται, ὅτι φαντάσματος, ὡς εἰκόνος οὗ φάντασμα, ἕξις.* Dubitari igitur non potest quin ex ipsius Aristotelis sententiâ animalia illa praedita sint *τῇ φαντασίᾳ*, siquidem memoriâ gaudent. Legantur praeterea Hist. An. *Α* 1. 488^a 7. *πολιτικὰ δ' ἐστὶν ὧν ἕν τι καὶ κοινὸν γίνεται πάντων τὸ ἔργον· ὅπερ οὐ πάντα ποιεῖ τὰ ἀγελαῖα. ἔστι δὲ τοιοῦτον ἄνθρωπος, μέλιττα, σφήξ, μύρμηξ, γέρανος.* de Part. An. *Β* 2. 648^a 5. *διὸ καὶ μέλιτται καὶ ἄλλα τοιαῦτα ζῷα φρονιμώτερα τὴν φύσιν ἐστὶν ἐναίμων πολλῶν.* ibid. 4. 650^b 24. *διὰ γὰρ τοῦτο καὶ τῶν ἀναίμων ἔνια συνετωτέραν ἔχει τὴν ψυχὴν ἐνίων ἐναίμων, . . οἷον ἡ μέλιττα καὶ τὸ γένος τὸ τῶν μυρμήκων κἂν εἴ τι ἕτερον τοιοῦτόν ἐστιν.* Met. *Α* 1. 980^b 22—24. Quodsi revertimur ad

locum nostrum, sic scribendus est: *δοκεῖ δ' οὔ, οἷον μύρμηκι μὲν καὶ μελίττῃ, σκώληκι δ' οὔ*: idque legisse videtur Themistius: *φαντασία δὲ τοῖς μέν, τοῖς δ' οὔ· μύρμηκι μὲν ἴσως καὶ μελίττῃ, καὶ πολλῷ μᾶλλον κυνὶ καὶ ἵππῳ, καὶ ὅσα μετέχει αἰσθήσεως* (l. *φρονήσεως*), *σκώληκι δ' οὔ*. Etiam Sophonias, quamquam loco alieno, sed ita tamen ut manifestum sit eum hunc potissime locum interpretari, fol 46 r⁰ *τὸ φανταστικόν*, inquit, *ὅπερ οὐ παντὶ τῷ κατὰ τόπον πρόσεστι κινουμένῳ. μύρμηξι μὲν γὰρ καὶ μελίτταις καὶ τοῖς ὁμοίοις .. ἀνάγκη παρεῖναι φαντασίαν .., σκώληκες δὲ καὶ μυῖαι .. ἢ οὐ* (v⁰) *δοκοῦσιν ὅλως ἔχειν ἢ ἀμυδράν τινα.*

§ 7. 428ᵃ 15. Verba *τότε ἢ ἀληθὴς ἢ ψευδής*, quia absurda sunt, cancellis inclusimus. Debebat scribere interpolator *τότε λέγομεν ὅτι φαίνεται.*

§ 8. 428ᵃ 19. *ἀλλὰ*—24. *δ' οὔ*. Locus geminus. Apparet idem argumentum bis esse positum, et in posteriore quidem editione paulo contractius et concinnius. Etiam illud in priore editione minus placere debebat Aristoteli quod dixerat *λόγος δ' οὔ*, h. e. *ἐνίοις τῶν θηρίων οὐχ ὑπάρχει λόγος*, quasi aliae bestiae ratione praedita essent.

§ 8. 428ᵃ 21. Utrum *δοκεῖ* scripserit Ar. an *δοξάζει* vix erit qui pro certo affirmare audeat. *Δοξάζοντες*] *δόξαντες* Lᵇ, 1146ᵇ 27.

§ 9. 428ᵃ 28. Non poterat scribere Ar. *ἀλλ' ἐκείνου ἐστὶν οὗ καὶ αἴσθησις*: nam haec omnia sub condicione dicta sunt. Scripsit igitur aut *ἀλλ' ἐκείνου ἔσται* aut *ἀλλ' ἐκείνου, εἴπερ ἐστίν*: ex quibus quum posterius praeberent quidam libri scripti, necessario reddendum erat Aristoteli. Themistius interpretatur *εἶναι προσήκει*: non male. — Deinde addendus erat articulus: *οὗ καὶ ἡ αἴσθησις.*

§ 9. 428ᵃ 30. Verba *ἡ συμπλοκή* non sunt Aristotelis. Qui corrector libro *V* auctor fuit vocabuli (28.) *ἐκ* mutandi in *εἰ*, is illud soloece esse dictum sensit, non sensit corruptelae sedem.

§ 10. 428ᵇ 4. *πεπίστευται δ' εἶναι μείζων τῆς οἰκουμένης.*] Haec verba per se spectata non movent suspicionem. Verum ille loquendi usus ex quo tertia persona singularis generis activi ita ponitur ut intelligatur certum quidem subjectum sed quod non attineat definiri, quamvis frequens sit apud Aristotelem, haud raro librarios perturbavit, sicut statim in loco simillimo factum est de Sensu et Sens. 7. 448ᵇ 13. *τοῦ γὰρ ἡλίου τὸ μέγεθος ὁρᾷ καὶ τὸ τετράπηχυ πόρρωθεν, ἀλλ' οὐ φαίνεται ὅσον*: ibi enim liber Bekkeri *P* habet *ὁρᾶται*. Tutius igitur visum est scribere *μείζω* cum *EPSTV* et *πέπεισται* cum *STUX*, praesertim quum omnis argumenti vis in eo posita sit ut eidem homini cui pedalis magnitudinis videatur esse sol, simul persuasum sit majorem esse orbe

terrarum. Eadem tertia persona posita est et ante et post hunc locum, b 3. 5. 7.

§ 11. 428b 10. ἀλλ' — 17. ψευδῆ. Haec verba mirâ laborant et prorsus insolitâ apud Aristotelem *ταυτολογίᾳ* et repetitione: postquam enim omiseris quae omitti possunt, hoc invenies enunciatum: *ἐπειδὴ ἡ φαντασία δοκεῖ οὐκ ἄνευ αἰσθήσεως γίγνεσθαι ἀλλ' αἰσθανομένοις καὶ ὧν αἴσθησίς ἐστιν, εἴη ἂν οὔτε ἄνευ αἰσθήσεως ἐνδεχομένη οὔτε μὴ αἰσθανομένοις ὑπάρχειν.* Hoc est quod vocant 'idem per idem', et adeo non potest ferri ut pro certo affirmaverim verba 11. *ἡ δὲ φαντασία κίνησίς τις δοκεῖ εἶναι καὶ οὐκ ἄνευ αἰσθήσεως γίγνεσθαι ἀλλ' αἰσθανομένοις καὶ ὧν αἴσθησίς ἐστιν* ab Aristotele non hoc esse loco scripta: nam ea Aristotelis esse non negaverim, imo, quantum tam pauca verba possunt, omnibus numeris aristoteleum stilum referunt. Igitur quod aliis locis factum esse videmus, ut lector aliquis antiquus, quae in primâ editione legebat, si ad illustrandam alteram aliquid conferre videbantur, ea in margine adscriberet, unde librarii postea ea in contextum posterioris editionis intulerunt, id etiam hoc loco accidisse statuendum est: quamquam, quum hoc loco non totum argumentum quale in priore editione legebatur sed particula tantum ejus adscripta sit, non possum, quod in ceteris fieri poterat locis geminis, utramque scripturam integram repraesentare. Relegatis vero illis verbis sicuti pressius incedit argumentum, ita nihil omittitur quod ad rem faciat: *ἀλλ' ἐπειδή ἐστι κινηθέντος τουδὶ κινεῖσθαι ἕτερον ὑπὸ τούτου, ἔστι δὲ γίνεσθαι κίνησιν ὑπὸ τῆς ἐνεργείας τῆς αἰσθήσεως, καὶ ταύτην ὁμοίαν ἀνάγκη εἶναι τῇ αἰσθήσει, εἴη ἂν αὕτη ἡ κίνησις οὔτε ἄνευ αἰσθήσεως ἐνδεχομένη οὔτε μὴ αἰσθανομένοις ὑπάρχειν.*

§ 12 — 13. 428b 18. *ἡ αἴσθησις* — 30. *ᾖ*. Quum in his edendis a vulgatâ multum recesserim, necessarium videtur ut sententiam hujus loci exponam: quâ intellectâ facile quisque judicium faciet meritone an secus nonnulla sint novata.

Demonstrandum est Aristoteli cur species aliae verae sint, falsae aliae: 17. *καὶ εἶναι καὶ ἀληθῆ καὶ ψευδῆ* (int. *ἐνδέχοιτ' ἂν τὴν κίνησιν ταύτην*: anacoluton est:) *τοῦτο δὲ συμβαίνει διὰ τάδε.* Species (*ἡ φαντασία*) est motio quaedam e sensibus traducta (10 sqq.). Qualis igitur est sensatio, talis erit etiam motio ex illâ derivata. Sensationes vero veritate differunt: different igitur veritate etiam species inde natae. Hoc est unum principium quo utitur Ar. ad dividendas species. Alterum hoc est: species rei sensu perceptae aut tum oritur quum sensu percipimus aut postquam sensu percepimus. Pone igitur tres esse veritatis gradus in sensationibus: sex erunt genera specierum, *τῶν φαντασιῶν*. Ex his vero unum tantum genus semper verum est: id quod jam demonstrabimus. Sensatio

enim aut est (1.) ejus rei quae per se sensui cuique objecta est, veluti color visui, sonus auditui: atque ea quidem sensatio semper fere vera est. Aut est sensatio (2.) ejus rei quae subjecta est qualitati per se sensili: nix vel cygnus subjectus est illi albo quod percipimus per se: atque in eâ re percipiendâ jam fallimur nonnunquam. Aut est (3.) earum rerum quae cum subjecto illo de quo modo diximus ita sunt conjunctae idque sequuntur ut aut nunquam aut non omni ex parte possint ab eo separari: quales sunt magnitudo, motio, cetera: atque ea quidem plurimum fallunt. Jam videamus de *φαντασίᾳ*. Apparet autem, quum nec secundum nec tertium sensationis genus immune sit ab errore, multo magis species ex illis natas, praecipue absente re perceptâ, errori esse obnoxias. Ac ne illa quidem species quae est rei per se sensibilis, veluti coloris vel soni, semper ab errore vacua est, sed tum tantum quum sensus operatur in eâ re percipiendâ cujus species animo obversatur. Ergo e sex illis specierum generibus unum tantum ab omni errore liberum est. — Haec hactenus: jam transeamus ad singula. Ac v. 20 legitur, ubi de secundo genere sensationis loquitur Ar.: *δεύτερον δὲ τοῦ συμβεβηκέναι ταῦτα*: quae quidem verba non sunt Aristotelis, quia absurda sunt. Loquitur Ar. de re colori vel alii qualitati sensili subjecta: si enim album videmus, dicimus nos nivem videre vel cygnos vel tentorium, quamquam in eâ re facile erramus: (21.) *ὅτι μὲν γὰρ λευκόν, οὐ ψεύδεται, εἰ δὲ τοῦτο τὸ λευκὸν ἢ ἄλλο τι, ψεύδεται.* Haec vero sententia non sic potest dici, sensum esse *τοῦ συμβεβηκέναι ταῦτα*: nam *τὸ συμβεβηκέναι* non est objectum sensûs, sed intellectûs, sicut ceterae notiones abstractae. Sensit incommodum corrector ejus libri ex quo *X* fluxit: qui *συμβεβηκότος* praebet. Quum igitur explosum sit illud *τοῦ συμβεβηκέναι ταῦτα*, nec vero libri scripti a Bekkero adhibiti aliam lectionem suppeditent quae quidem ferri possit, videtur confugiendum esse ad priscos libros impressos, inter quos Aldinus certe e scriptis libris derivatus est. Habent autem illi *τοῦ ᾧ συμβέβηκε καὶ ταῦτα*, hoc est, si *καί* dittographia est, *τοῦ ᾧ συμβέβηκε ταῦτα*: atque sic videtur legisse Themistius, qui *δεύτερον δέ* inquit *τῶν ὑποκειμένων τοῖς ἰδίοις καὶ οἷς ἐκεῖνα συμβέβηκεν.* (Huc videntur ferre etiam vestigia libri *L* et, quod dicit Bussemakerus, *E*: ii enim habent *δεύτερον δὲ τῷ συμβεβηκέναι ταῦτα.*) Sed illa scriptura, quum habeat quandam veri speciem, a vero longe abest: scripsit enim Ar. *δεύτερον δὲ τοῦ ὃ συμβέβηκε τούτοις.* Nam si album id est quod per se cernitur, homo vero illi albo subjectus per accidens, dicendum est *ὅτι ὁ ἄνθρωπος συμβέβηκε τῷ λευκῷ*, non vice versâ. Utrumque sane recte dici potest, sed non utrumlibet eodem loco. Si a notione et *τῇ κατὰ τὸν λόγον οὐσίᾳ* initium sumis, *τὸ λευκὸν συμβέβηκε τῷ ἀνθρώπῳ*: si initium sumis ab eo quod per se visui est subjectum, *τῷ λευκῷ*, dicendum

erit *ὅτι ὁ ἄνθρωπος* vel quidquid est *συμβέβηκε τῷ λευκῷ*. Ad priorem locutionem confirmandam supervacaneum est exempla affere: alterum dici ubi res postulet, id primum apparet ex iis quae nostro loco statim sequuntur: 22. *τρίτον δὲ τῶν κοινῶν καὶ ἑπομένων τοῖς συμβεβηκόσιν οἷς ὑπάρχει τὰ ἴδια.* Quid enim? *τὰ ἴδια* esto color albus: *τὸ συμβεβηκὸς ᾧ ὑπάρχει τὸ λευκόν* erit homo: *τὸ ἑπόμενον τῷ συμβεβηκότι τούτῳ* (h. e. homini) sunt magnitudo, motio, numerus, cetera. Idem demonstrari potest collatis 418ª 20. *κατὰ συμβεβηκὸς δὲ λέγεται αἰσθητόν, οἷον εἰ τὸ λευκὸν εἴη Διάρους υἱός· κατὰ συμβεβηκὸς γὰρ τούτου αἰσθάνεται, ὅτι τῷ λευκῷ συμβέβηκε τοῦτο οὗ αἰσθάνεται*: et 425ª 25. *οἷον τὸν Κλέωνος υἱὸν οὐχ ὅτι Κλέωνος υἱὸς ἀλλ' ὅτι λευκός, τούτῳ* (h. e. *τῷ λευκῷ*) *δὲ συμβέβηκεν υἱῷ Κλέωνος εἶναι.* Facile intelligitur eandem esse rationem eorum locorum in quibus non a re per se sensili initium sumitur sed ab aliâ qualibet re, modo non sit *ἡ οὐσία ἡ κατὰ τὸν λόγον.* Sic, ubi initium sumptum est a relatione heri et servi, accidit hero ut homo sit: Cat. 7. 7ª 31. *ἔτι δ' ἐὰν μέν τι οἰκείως ἀποδεδομένον ᾖ πρὸς ὃ λέγεται, πάντων περιαιρουμένων τῶν ἄλλων ὅσα συμβεβηκότα ἐστί, καταλειπομένου δὲ μόνου τούτου πρὸς ὃ ἀπεδόθη οἰκείως, ἀεὶ πρὸς αὐτὸ ῥηθήσεται· οἷον ὁ δοῦλος ἐὰν πρὸς δεσπότην λέγηται, περιαιρουμένων τῶν ἄλλων ἁπάντων ὅσα συμβεβηκότα ἐστὶ τῷ δεσπότῃ, οἷον τὸ δίποδι εἶναι καὶ τὸ ἐπιστήμης δεκτικῷ καὶ τὸ ἀνθρώπῳ, καταλειπομένου δὲ μόνου τοῦ δεσπότην εἶναι, ἀεὶ ὁ δοῦλος πρὸς αὐτὸ ῥηθήσεται· ὁ γὰρ δοῦλος δεσπότου δοῦλος λέγεται.* — Quamquam igitur dubitari non potest quin scripserit Ar. *δεύτερον δὲ τοῦ ὃ συμβέβηκε τούτοις*, tamen, quum nullum haberem idoneum testimonium, reducere non sum ausus.

Transeamus ad cetera. Ac v. 24. quod legitur *ἃ συμβέβηκε τοῖς αἰσθητοῖς*, id mihi videtur interpretamentum esse idque satis infelix. Possunt quidem haec aliquo modo defendi, si quis dicat *τὰ αἰσθητά* hoc loco non esse *τὰ ἴδια* (v. c. colorem) sed subjecta *οἷς ὑπάρχει τὰ ἴδια* (v. c. hominem colore praeditum). Sed et parum accurate haec dicta erunt et, quod maximum est, plane supervacanea erunt post ea quae dicta sunt v. 23. *τοῖς συμβεβηκόσιν οἷς ὑπάρχει τὰ ἴδία.* Quae si recte disputavimus, hic locus sic legendus est et distinguendus: *τρίτον δὲ τῶν κοινῶν καὶ ἑπομένων τοῖς συμβεβηκόσιν οἷς ὑπάρχει τὰ ἴδια,* (*λέγω δ' οἷον κίνησις καὶ μέγεθος*·) *περὶ ἃ μάλιστα ἤδη ἔστιν ἀπατηθῆναι κατὰ τὴν αἴσθησιν.*

Jam adoriamur locum omnium pessime corruptum. Legebatur enim 25. *ἡ δὲ κίνησις ἡ ὑπὸ τῆς ἐνεργείας γινομένη διοίσει τῆς αἰσθήσεως τῆς ἀπὸ τούτων τῶν τριῶν αἰσθήσεων*: quibus ne

tantillum quidem sensûs inest. Nam *ἡ κίνησις ἡ ὑπὸ τῆς ἐνεργείας γινομένη* quum sit *ἡ φαντασία*, habemus haec: *ἡ φαντασία διοίσει τῆς αἰσθήσεως*. Quasi id non plene et perfecte demonstratum sit 428ᵃ 5 — 19. Sed pejus est quod sequitur: *τῆς ἀπὸ τούτων τῶν τριῶν αἰσθήσεων*: ut universa sententia haec sit: species differet a sensatione quae proficiscitur ab his tribus sensationibus. Accedit quod Bekkerus incredibili quodam errore abreptus tanquam e libris scriptis petitum dedit quae in nullo libro scripto leguntur. In adnotatione criticâ haec habet: 26. *ἡ* om *T.* ‖ *κινουμένη W.* ‖ *τῶν αἰσθήσεων T.* ‖ Jam absolutus est versus vigesimus sextus: ergo quae sequuntur, ea non ad hunc versum pertinent sed ad versum septimum et vigesimum. Nihilo minus Bekkerus omisit numerum. Sunt autem quae sequuntur haec: *τῆς*] *ἡ ELTX.* *τῆς*—27. *αἰσθήσεων* om *SUVW.* Quae sic erant scribenda: 27. *τῆς*] *ἡ ELTX.* *τῆς* — *αἰσθήσεων* om *SUVW.* Igitur libri *ELTX* habent *ἡ ἀπὸ τούτων τῶν τριῶν αἰσθήσεων*, libri *SUVW* totum hoc membrum omittunt. At libri *ELTXSUVW* sunt omnes quos Bekkerus adhibuit. Ergo quae ipse scripsit, *τῆς ἀπὸ τούτων τῶν τριῶν αἰσθήσεων*, ea nullus habet liber scriptus ex iis quos contulit Bekkerus. Transierunt autem in Bekkerianam ex Basileensi, cujus ille exemplari in conferendis libris scriptis usus est. Rejectâ igitur Bekkeri scripturâ, quae nec ullo libro scripto nititur et plane absurda est, quaeramus quae codicum scriptura recipienda sit ut Aristotelis sententia quam clarissime enuncietur. Quae vero illa sit sententia supra demonstratum est. Dicit igitur *διοίσει*, h. e. discrimen habebit: non additur a qua tandem re differat *ἡ φαντασία*, quia non id quaeritur, sed quae sint *τῆς φαντασίας* ipsius species ac differentiae. Sunt autem genera tria, quae respondent tribus illis sensationis generibus. Quae si recte disputata sunt, apparet aut verba (26.) *τῆς αἰσθήσεως* aut verba (27.) *ἡ ἀπὸ τούτων τῶν τριῶν αἰσθήσεων* pro interpretamento esse habenda. Jam illa in omnibus libris leguntur, (nisi quod *T* pluralem habet, *τῶν αἰσθήσεων*,) haec omittuntur in libris *SUVW.* Librorum vestigia secuti ponamus haec falsa esse, vera illa: habebimus: *ἡ δὲ κίνησις ἡ ὑπὸ τῆς ἐνεργείας γινομένη διοίσει τῆς αἰσθήσεως*. Sed haec non possunt ab Aristotele scripta fuisse, propterea quod *τῆς αἰσθήσεως* penderet a *διοίσει*, quum suspensum esse debeat e verbis *ὑπὸ τῆς ἐνεργείας*. Transponenda igitur sunt verba illa, sic: *ἡ δὲ κίνησις ἡ ὑπὸ τῆς ἐνεργείας γινομένη τῆς αἰσθήσεως διοίσει*, vel, si ne ita quidem omnis errandi causa legenti erepta erit, sic: *ἡ δὲ κίνησις διοίσει ἡ ὑπὸ τῆς ἐνεργείας τῆς αἰσθήσεως γινομένη*. Recedendum igitur erit a librorum scripturâ si servare volumus verba *τῆς αἰσθήσεως*. At si, ut verba suspecta tuearis, spernatur necesse est librorum auctoritas, eodem vel etiam meliore jure ipsa illa verba damna-

veris. Ac suspecta quidem sunt: nam, ut taceam de scripturâ codicis *T*, facile poterat, qui haec legebat, *ἡ δὲ κίνησις ἡ ὑπὸ τῆς ἐνεργείας γινομένη*, in margine adscribere *τῆς αἰσθήσεως*, quo interpretaretur verba *ὑπὸ τῆς ἐνεργείας*: quominus vero ipse Ar. adderet *τῆς αἰσθήσεως*, multae obstabant ac dilucidae causae. Primum enim, quoquo loco ponebat *τῆς αἰσθήσεως*, vix ac ne vix quidem, servatâ aliquâ dicendi elegantiâ, prohibere poterat quominus qui legeret suspenderet *τῆς αἰσθήσεως* a *διοίσει*. Deinde ad sententiam necessaria illa non sunt, non solum propterea quod in iis quae praecedunt semper de sensu verba fecit: (quid quod paulo ante expressis verbis dixerat 13. *ἔστι δὲ γίνεσθαι κίνησιν ὑπὸ τῆς ἐνεργείας τῆς αἰσθήσεως*:) sed additurus etiam erat *ἡ ἀπὸ τούτων τῶν τριῶν αἰσθήσεων*. Ea enim verba ita sunt apta ad hujus loci sententiam ut vix quisquam ea ab Aristotele abjudicaverit. Quod enim in quibusdam codicibus exciderunt, id casu esse factum non negabit qui codicum varias lectiones ipsâ Bekkeri manu scriptas, (quae Berolini asservantur,) contulerit cum iisdem quales nunc in Academiae Berolinensis editione impressas legimus. Nam liber *S* non sola omittit haec, quod dicitur in editione impressâ, *ἡ ἀπὸ τούτων τῶν τριῶν αἰσθήσεων*, sed etiam *καί* illud quo ea verba excipiuntur. De *UVW* quidem nihil constat: eorum enim lectionis discrepantia apud Brandisium est: quem librum ante aliquot annos quum commodasset mihi vir egregius, aliis rebus occupato tempus non suppetiit ut eam partem quae Psychologiam continet perscrutarer. Sed quum in universo hoc loco scribendo *SUVW* in omnibus rebus concinant, de *S* vero editum Bekkeri librum falsa tradere demonstraverimus, veri simile, ne dicam certum, est eum de *UVW* quoque falsa tradere. Igitur certum est codicem *S*, quam maxime vero probabile libros *SUVW* sic esse scriptos: *ἡ δὲ κίνησις ἡ ὑπὸ τῆς ἐνεργείας γινομένη διοίσει τῆς αἰσθήσεως ἡ μὲν πρώτη*. At ante *ἡ μὲν πρώτη* fortuito omissa sunt haec *ἡ ἀπὸ τούτων τῶν τριῶν αἰσθήσεων. καὶ*: quae propter duplex illud *ἡ* quam facile potuerint omitti a scribâ ejus libri ex quo *SUVW* derivati sunt, non est quod moneam. — His omnibus rebus perpensis non potui non genuina putare verba (27.) *ἡ ἀπὸ τούτων τῶν τριῶν αἰσθήσεων*, *νοθείας* damnare (26.) *τῆς αἰσθήσεως*.

§ 13. 428ᵇ 30—429ᵃ 2. *εἰ οὖν μηθὲν μὲν ἄλλο ἔχει τὰ εἰρημένα ἢ μὴ φαντασίαν, τοῦτο δ' ἐστὶ τὸ λεχθέν, ἡ φαντασία ἂν εἴη κίνησις ὑπὸ τῆς αἰσθήσεως τῆς κατ' ἐνέργειαν γιγνομένης.*] In his Bekkerus egregie falsus est: quod enim scribit *ἢ μὴ φαντασίαν*, non moror quod absurdum est, sed in nullo scripto libro invenitur. Nam *LTUVX* habent *ἢ φαντασία*, *EW* *ἢ ἡ φαντασία*: nam *E* hoc certe voluit, quamquam librarii errore *ἢ* post *ἔχοι* est transpositum. Superest unus codex *S*: at ille non habet *ἢ μὴ*

φαντασίαν, sed *ἢ φαντασίαν*, id quod ex notis intellexi ipsius Bekkeri manu scriptis. Quid quod *μή* illud, quod primo in Sylburgianâ apparet (vid. Adnot. crit.), typothetarum errori videtur deberi. Ex illâ igitur editione in Bekkerianam transiit: nam in duobus libris, editionis Basileensis et Sylburgianae exemplaribus, Bekkerus et Brandisius codicum discrepantiam suâ manû adscripsere eorumque operâ Bekkerus suam editionem confecit. Quodsi quis solam laudat et miratur codicum scripturam, ei scribendum est *εἰ οὖν μηθὲν μὲν ἄλλο ἔχει τὰ εἰρημένα ἢ ἡ φαντασία*. Verum ut et de his et de iis quae sequuntur recte judicetur, primum quaerendum est quid sibi demonstrandum proposuerit Aristoteles. Vult autem phantasiae definitionem tradere, 429ᵃ 1. *ἡ φ. ἂν εἴη κίνησις ὑπὸ τῆς αἰσθήσεως τῆς κατ᾽ ἐνέργειαν γιγνομένη*. Colligitur autem definitio ex iis quae huc usque disputata sunt, *τὰ ὑπάρχοντα κατ᾽ αὐτό*. Ea vero ita tradidit ut primo poneret genus, 428ᵃ 3. *μία τίς ἐστι τούτων δύναμις ἢ ἕξις καθ᾽ ἣν (καθ᾽ ἃς?) κρίνομεν καὶ ἀληθεύομεν ἢ ψευδόμεθα*: deinde hujus generis eas recensuit species quae ex omnium sententiâ illi generi insunt: 428ᵃ 4. *τοιαῦται δ᾽ εἰσὶν αἴσθησις, δόξα, ἐπιστήμη, νοῦς*. Postremo quaesivit num phantasia eadem esset atque una vel altera ex his speciebus, vel mixta e duabus, an differret ab omnibus. Invenit differre. Qua in quaestione necessario ostendendum erat q u i d differret phantasia a reliquis quas recensuerat animi facultatibus: vel ut aliis verbis idem dicam, et quaesivit et invenit differentiam phantasiae specificam. Jam igitur justam definitionem traditurus sic pergit: Quodsi nulla alia animi facultas habet eas res quas exposuimus, haec vero habet, sequitur ut phantasia sit cet. Legendum igitur est: *εἰ οὖν μηθὲν μὲν ἄλλο ἔχει τὰ εἰρημένα, τοῦτο δ᾽ ἔχει, ἡ φαντασία ἂν εἴη κτλ.* Jam verba *ἢ ἡ φαντασία* quin interpretamentum sint vix cuiquam dubium erit. Primum enim Philoponus non legit, qui *εἰ οὖν μηδέν* ait *ἄλλο ἔχει τὰ εἰρημένα, τουτέστι πλὴν φαντασίας, ἡ δὲ φαντασία ἐστὶν ἡ ἔχουσα* (add. *τὰ*) *λεχθέντα, κτλ.* Verba *τουτέστι πλὴν φαντασίας*, quibus interpretatur verba *μηδὲν ἄλλο*, non addidisset Philoponus si in eo libro quo utebatur expressis verbis positum invenisset *ἢ ἡ φαντασία* vel *εἰ μὴ ἡ φαντασία*. Deinde haec verba supervacanea sunt et ab Aristotelis breviloquentiâ abhorrent. Porro non scripsisset *τοῦτο*, sed *αὕτη*, si *ἡ φαντασία* praecessisset. — Jam ventum est ad ea quae 429ᵃ 1. leguntur, *τοῦτο δ᾽ ἐστὶ τὸ λεχθέν*: quae sic ab Aristotele scripta esse non possunt. Nam *τοῦτο* non potest referri ad *τὰ εἰρημένα*, (*τὰ εἰρημένα ἐστὶ τὸ λεχθέν*,) nec ad phantasiam, (*ἡ φ. ἐστὶ τὸ λεχθέν*,) propterea quod nondum dixit *τί ἐστιν ἡ φαντασία*, sed dicturus est. In horum verborum locum substituenda esse *τοῦτο δ᾽ ἔχει* supra demonstravimus. — Denique in ipsâ definitione cum Trendelenburgio scri-

bendum fuit *γιγνομένη*, non *γιγνομένης*, quod Bekk. dedit, coll. de Somn. 1. 459[a] 14. *ἐπεὶ δὲ περὶ φαντασίας ἐν τοῖς περὶ ψυχῆς εἴρηται, καὶ ἔστι μὲν τὸ αὐτὸ τῷ αἰσθητικῷ τὸ φανταστικόν, τὸ δ' εἶναι φανταστικῷ καὶ αἰσθητικῷ ἕτερον, ἔστι δὲ φαντασία ἡ ὑπὸ τῆς κατ' ἐνέργειαν αἰσθήσεως γινομένη κίνησις . .*

§ 15. 429[a] 5. Legebatur *καὶ ὁμοίως εἶναι ταῖς αἰσθήσεσι.* Correxi coll. 428[b] 14. *καὶ ταύτην ὁμοίαν ἀνάγκη εἶναι τῇ αἰσθήσει.*

CAPUT QUARTUM.

Hic librum tertium incipiunt Arabes.

§ 3—4. 429[a] 18. *ἀνάγκη*—27. *οὐθέν ἐστιν.* Locus geminus: videatur Annot. crit. Sicut in ceteris locis geminis, ita hic quoque quae loco superiore scripta est, ea est perfectior et posterior recensio. Sententiae sunt binae, alternis locis positae: 1, intellectus non est mixtus corpori, (*ἀνάγκη ἀμιγῆ εἶναι* = *οὐδὲ μεμῖχθαι εὔλογον*); 2, intellectus non est actu idea antequam cogitet, (*οὐκ ἔστιν αὐτοῦ φύσις οὐδεμία ἀλλ' ἢ αὕτη ὅτι δυνατόν* = *οὐθέν ἐστιν ἐνεργείᾳ τῶν ὄντων πρὶν νοεῖν*). Ceterum huic loco inest aliquid quod dubito num graece dictum sit: videtur enim 25. et 26. *ποιός τις γὰρ ἂν ἐγένετο* scribendum esse et *κἂν ὄργανόν τι ἦν*, collatis 27. *νῦν δ' οὐθέν ἐστιν.* Legitur hoc in eâ editione quam priorem esse diximus.

§ 6. 429[b] 8. *ὁμοίως* patet post *μήν*, non post *μέν*, scribendum esse: item quid *ἐν τῷ ἀντιβάλλειν* corrigenti in causâ fuerit ut erraret.

§ 7. 429[b] 12. *ἐπ' ἐνίων*—13. *κρίνει.* Prava horum verborum distinctio a Trendelenburgio correcta admodum antiqua est: *οὐκ ἀληθὲς παράδειγμα εἰληφώς*, Simplicius. *ἀνοικείῳ παραδείγματι ἐχρήσατο . . διὰ μεγαλοφυΐαν*, Philoponus. Nihil tam absurdum est cui non defensor existat ac laudator. — Themistius verum vidit.

§ 11. 429[b] 29. *ἢ τὸ*—430[a] 2. *νοῦ.* Ut de hujus loci scripturâ judicium fieri possit, necessario coactus sententiam exponam. Solvit Ar. duas difficultates. Primum enim, — ac de eâ solâ difficultate nos agemus: altera est quaestio quid differant *τὸ νῷ εἶναι* et *τὸ νοητῷ εἶναι*, — primum igitur non intelligitur quî intellectus sit *ἀπαθής*, si agit per passionem: porro, si simplex est nec quidquam cum ullâ re commune habet, quî pati possit: quod enim patitur, id habet aliquid commune cum re agente. Ut enim patiatur quid, necesse est cum re agente esse idem genere, specie diversum: de Gen. et Corr. *Α* 7. 323[b] 29. *ἀλλ' ἐπεὶ οὐ τὸ τυχὸν πέφυκε πάσχειν καὶ ποιεῖν, ἀλλ' ὅσα ἢ ἐναντία ἐστὶν ἢ ἐναντίωσιν*

ἔχει, ἀνάγκῃ καὶ (dele καὶ) τὸ ποιοῦν καὶ τὸ πάσχον τῷ γένει μὲν ὅμοιον εἶναι καὶ ταὐτό, τῷ δ' εἴδει ἀνόμοιον καὶ ἐναντίον· πέφυκε (fort. legendum ἔοικε) γὰρ σῶμα μὲν ὑπὸ σώματος, χυμὸς δ' ὑπὸ χυμοῦ, χρῶμα δ' ὑπὸ χρώματος πάσχειν, ὅλως δὲ τὸ ὁμογενὲς ὑπὸ τοῦ ὁμογενοῦς. τούτου δ' αἴτιον ὅτι τἀναντία ἐν ταὐτῷ γένει πάντα, ποιεῖ δὲ καὶ πάσχει τἀναντία ὑπ' ἀλλήλων. ὥστ' ἀνάγκη πῶς μὲν εἶναι ταὐτὰ τό τε ποιοῦν καὶ τὸ πάσχον, πῶς δ' ἕτερα καὶ ἀνόμοια ἀλλήλοις. ἐπεὶ δὲ καὶ (dele καὶ) τὸ πάσχον καὶ τὸ ποιοῦν τῷ μὲν γένει ταὐτὰ καὶ ὅμοια τῷ δ' εἴδει ἀνόμοια, τοιαῦτα δὲ τἀναντία, φανερὸν ὅτι παθητικὰ καὶ ποιητικὰ ἀλλήλων ἐστὶ τά τ' ἐναντία καὶ τὰ μεταξύ· καὶ γὰρ ὅλως φθορὰ καὶ γένεσις ἐν τούτοις. διὸ καὶ εὔλογον ἤδη τό τε πῦρ θερμαίνειν καὶ τὸ ψυχρὸν ψύχειν, καὶ ὅλως τὸ ποιητικὸν ὁμοιοῦν ἑαυτῷ τὸ πάσχον. τό τε γὰρ ποιοῦν καὶ τὸ πάσχον ἐναντία ἐστί, καὶ ἡ γένεσις εἰς τοὐναντίον· ὥστ' ἀνάγκη τὸ πάσχον εἰς τὸ ποιοῦν μεταβάλλειν· οὕτω γὰρ ἔσται εἰς τοὐναντίον ἡ γένεσις. Ergo *τὸ ποιοῦν* et *τὸ πάσχον* habent quod *κοινόν* sit: ex eodem enim sunt genere. Quodsi intellectus patitur, non verum est quod dicit Anaxagoras *τὸν νοῦν ἁπλοῦν εἶναι καὶ μηθενὶ μηθὲν ἔχειν κοινόν*. Difficultatem propositam ita solvit Ar. ut neget intellectum eo modo pati quo cetera quae patiuntur. Huic solutioni jam ibi proluserat Ar. ubi dicebat (ª 14.) *ἢ πάσχειν τι ἂν εἴη ὑπὸ τοῦ νοητοῦ ἤ τι τοιοῦτον ἕτερον*: ubi duplex *ἤ* non temere positum est. Dolendum sane est quod solutio Aristotelis non integra extat sed mutila est et corrupta: de ipsâ vero sententiâ dubitari non potest. Verba vero ᵇ 29. *ἢ τὸ μὲν πάσχειν κατὰ κοινόν τι διῄρηται πρότερον, ὅτι δυνάμει πώς ἐστι τὰ νοητὰ ὁ νοῦς, ἀλλ' ἐντελεχείᾳ οὐδέν, πρὶν ἂν νοῇ* — haec mutilata esse ac postea male consarcinata, vix est quod demonstratione egeat. Lacuna est post *κοινόν τι*, ita vero ut etiam ante *κατά* exciderint nonnulla. Collatis igitur ᵇ 25. *ἢ γάρ τι κοινὸν ἀμφοῖν ὑπάρχει, τὸ μὲν ποιεῖν δοκεῖ τὸ δὲ πάσχειν*, his collatis verba illa mutila explentur sic: *ἢ τὸ μὲν πάσχειν καὶ ποιεῖν κατὰ κοινόν τι γίγνεται.* Hactenus de patiendo, quod quidem optimo jure dicitur. Deinde demonstrat Ar. intellectum non eo modo pati dum intelligat ut e contrariâ ejusdem generis specie in contrariam hac agente transeat, veluti quum res frigida per ignem calida fiat. Si de intellectu agitur, id vel ideo fieri nequit quia quod patitur, antequam patiatur, necessario est aliqua res certa ac definita actu: intellectus vero nihil est actu antequam intelligat. Ergo intellectio non fit *κατὰ κοινόν τι*: nam *τοῦ εἶναι καὶ τοῦ μὴ εἶναι οὐδέν ἐστι κοινόν* (liceat enim hoc graece dicere, quia latine nisi per ambages dici non potest). Redeamus ad verba quae ex hac demonstrationis parte supersunt: sunt autem haec: *διῄρηται πρότερον*

ὅτι δυνάμει πώς ἐστι τὰ νοητὰ ὁ νοῦς, ἀλλ' ἐντελεχείᾳ οὐδὲν πρὶν ἂν νοῇ. Librarius, quum in superiore enunciato *γίγνεΤΑΙ* scribendum esset, aberravit ad *εἴρηΤΑΙ*, sic: *ἢ τὸ μὲν πάσχειν καὶ ποιεῖν κατὰ κοινόν τι εἴρηΤΑΙ πρότερον δυνάμει πώς ἐστι τὰ νοητά, ἀλλ' ἐντελεχείᾳ οὐδὲν πρὶν ἂν νοῇ.* Quae quum sensu destituta essent, diorthota quisquis fuit subjectum posterioris particulae supplevit, quod haud dubie *ὁ νοῦς* est, scripsitque *δυνάμει πώς ἐστι τὰ νοητὰ ὁ νοῦς, ἀλλ' ἐντελεχείᾳ οὐδὲν πρὶν ἂν νοῇ.* Deinde, ne duo essent verba ex aequo posita, *εἴρηται* et *ἐστί*, addidit *ὅτι* ante *δυνάμει.* Porro, quum quaereret quid sibi vellent verba *ἢ τὸ μὲν πάσχειν καὶ ποιεῖν κατὰ κοινόν τι εἴρηται*, peropportune in mentem ei venit illius partitionis quae de patiendo proposita est *B* 5. 417^b 2 sqq. *Εἴρηται* igitur mutavit in *διῄρηται*, et *καὶ ποιεῖν* expulit. Praeclaram restitutionem ac dignam viro grammatico: ut enim grammatica ratio constet, de sententiâ securi sunt boni viri. Quid enim ad grammaticum quod divisio fit, non secundum differentias specificas, sed secundum id quod rei dividendae universae commune est: *τὸ πάσχειν κατὰ κοινόν τι διῄρηται.* Sed summum ac plane divinum est *ὅτι* illud explicativum, quo interposito haec fit sententia, si sententia vocanda est quod omni sensu caret: *τὸ πάσχειν διῄρηται ὅτι ὁ νοῦς ἐστὶ τὰ νοητὰ δυνάμει.*

Sed ab his diasceuastarum ineptiis revertamur ad verba Aristotelis: sunt autem celeberrima illa de tabulâ rasâ: quorum quantum fuerit in philosophiâ recentiorum hominum excolendâ momentum omnes sciunt qui historiae philosophicae operam navaverunt. Ea quoque ut recte possint intelligi nonnihil adjuvabimur e persanato loco quem illa excipiunt, de quo loco paulo ante egimus. Locus enim ille, qui est de tabulâ rasâ, non avellendus est vel ab iis quae praecedunt vel ab iis quae sequuntur. Sententia vero haec est: Patitur quidem quidque et agit ita ut eodem genere contineantur ambo et specie contraria sint: intellectus vero vel ideo non potest hoc modo pati quia, quum potentiâ omnia sit, antequam cogitet nihil est actu: ergo ne contrarium quidem. Sed intellectûs passio, si modo passio appellanda est, non ita fit ut e contrario intellectus transeat in contrarium: imo intellectui evenit sicuti libello in quo quum antea nihil scriptum sit, quum possint inscribi omnia, postea inscribuntur quaedam. Nam ne libellum quidem quispiam dicat eodem genere contineri quo literas vel verba, nec esse contraria verba et libellum, nec transiisse libellum in contrarium. Quamquam hoc differunt exemplum et ea res cujus est exemplum quod libellus etiam antequam inscribatur est res quaedam certa et definita, intellectus nisi *δυνάμει* non est antequam cogitat. — Vides quantum distet Aristotelis sententia ab sensualistarum placitis. A quibus injuriâ Aristotelem in partes vocari multi jam viderunt: quid vero tandem sibi voluerit Ar. quum tabulam ra-

sam tanquam exemplum intellectûs proponeret, ne ii quidem videntur intellexisse omnes. — Quodsi ad verba Aristotelis animum advertimus, non multum depravata sunt. Ante *ὅπερ συμβαίνει ἐπὶ τοῦ νοῦ* colon posui loco puncti maximi. Inter *οὕτως* et *ὥσπερ* (429b 31.) excidit infinitivus aoristi, puto *ὑπολαβεῖν*: quo carere non possumus: *δεῖ δ' οὕτως ὑπολαβεῖν* (*γίγνεσθαι τὸ νοεῖν*) *ὥσπερ ἐν γραμματείῳ ᾧ μηθὲν ὑπάρχει ἐντελεχείᾳ γεγραμμένον* (*γίγνεται τὸ γράφεσθαι*). Persaepe sic Aristoteles: *δεῖ δὲ κατανοεῖν* 64a 33. 1052b 1. *οὕτω γὰρ δεῖ λαμβάνειν* 1053a 27. *δεῖ δ' ὥσπερ . . οὕτω δεικνύναι* 1145b 2. *δεῖ γὰρ νοῆσαι ὥσπερ εἴτις μετροίη τῷ αὐτῷ μέτρῳ ὕδωρ* 321b 24. *τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον δεῖ νοῆσαι* 442b 27. *ὁμοίως δ' ὑπολαβεῖν τοῦτο δεῖ* 459b 1. *δεῖ δ' ὑπολαβεῖν* 480a 20. Similia innumeris fere locis. Quod *ᾧ* omittitur 430a 1. in quibusdam, id negligentiae tribuendum est: quo vocabulo omisso quidam *ὑπάρχειν* correxerunt ut forma aliqua esset grammatica. Sed quid est quod ibidem quidam scribunt iique optimi libri *καταγεγραμμένον*, non *γεγραμμένον*? Illud ut verum esse existimarem non potui a me impetrare. Sed quaeri potest an neutrum sit Aristotelis: *T* enim codex omittit. Ac ferri potest omissum. Erunt fortasse qui id probent. Ego, quamquam non intelligo unde illud *κατα* originem traxerit, vulgatam scripturam veram esse arbitror.

CAPUT QUINTUM.

§ 1. 430a 18. Quod omnes concedunt, intellectum ex Aristotelis sententiâ esse actum purum, id, si quo alio loco, hoc erat dicendum. Scripsi igitur *τῇ οὐσίᾳ ὢν ἐνέργεια.* Sic bene distinguitur ab intellectu passivo, qui non *τῇ οὐσίᾳ* sed agente demum intellectu *ποιητικῷ* actu est. Secutus autem sum Themistium et Philoponum, quibuscum etiam Arabes concinunt. Cf Met. *Λ* 7. 1072a 25. *ἔστι τι ὃ οὐ κινούμενον κινεῖ, ἀΐδιον καὶ οὐσία καὶ ἐνέργεια οὖσα*: quo in loco quum *οὐσία* nimis debilis videatur esse, quippe quod nimis late pateat, dubitavi an scribendum esset *ἀΐδιον καὶ τῇ οὐσίᾳ ἐνέργεια οὖσα.* — 1072b 26. *καὶ ζωὴ δέ γε ὑπάρχει· ἡ γὰρ νοῦ ἐνέργεια ζωή, ἐκεῖνος δὲ ἡ ἐνέργεια· ἐνέργεια δὲ ἡ καθ' αὑτὴν ἐκείνου* (suspectum est *ἐκείνου*) *ζωὴ ἀρίστη καὶ ἀΐδιος.* Nam quod his locis de deo agitur, id nihil interest ad eam quaestionem utrum nominativus an dativus scribendus sit, quia *ὁ νοῦς ὁ ποιητικός* analogiâ idem est in homine ac deus in mundo universo. Themistii verba haec sunt: *ἡ δὲ οὐσία τοῦ ποιητικοῦ νοῦ ταὐτόν ἐστι τῇ ἐνεργείᾳ*: et *εἴπερ ταὐτὸν ἐπ' αὐτῷ ἡ οὐσία τῇ ἐνεργείᾳ*: et *οὕτω γὰρ μόνως ἂν εἴη, καθάπερ φησὶν Ἀρ., ταὐτὸν ἥ τε οὐσία αὐτοῦ καὶ ἡ ἐνέργεια*: et *τοῦτο δ' ἐστὶ* (l. *ἔσται*) *διαφέρειν ἐπ' αὐτοῦ τὴν οὐσίαν τῆς ἐνεργείας, ὃ διαρρήδην Ἀρ. οὐ*

συγχωρεῖ: et ταὐτὸν ἔχων τῇ οὐσίᾳ τὴν ἐνέργειαν. Similia Philoponus. Item Alexander, περὶ ψυχῆς fol. 139 v⁰ ἀπαθὴς δὲ ὢν καὶ μὴ μεμιγμένος ὕλῃ τινὶ καὶ ἄφθαρτός ἐστιν, ἐ ν έ ρ γ ε ι α ὢν καὶ εἶδος χωρὶς δυνάμεώς τε καὶ ὕλης.

§ 2. 430ᵃ 19. Legebatur τὸ δ' αὐτό ἐστιν ἡ κατ' ἐνέργειαν ἐπιστήμη τῷ πράγματι· ἡ δὲ κατὰ δύναμιν προτέρα ἐν τῷ ἑνί, ὅλως δὲ οὐ χρόνῳ· ἀλλ' οὐχ ὁτὲ μὲν νοεῖ ὁτὲ δ' οὐ νοεῖ: quae ita mutavi ut scriberem ὅλως δὲ ο ὐ δ ὲ χρόνῳ, secutus locum geminum, 431ᵃ 3, ubi nulla est scripturae variatio. Ac necessarium profecto est οὐδέ: dicit enim Ar. hoc: ὅλως δέ, οὐχ ὅτι τῇ οὐσίᾳ ἢ τῷ λόγῳ (Met. Θ 8.), ἀλλ' οὐδὲ χρόνῳ προτέρα. Nec spernendum esse leve hoc inter οὔ et οὐδέ discrimen Themistii exemplo potest comprobari qui, quum οὐ χρόνῳ in suis inveniret, eo delatus est ut interpretaretur οὐδ' ἐν χρόνῳ, arbitratus de dei sapientiâ Aristotelem verba facere, quam dicat non esse in tempore neque tempore concludi. In universum vero non satis possum mirari quam non sibi constet Themistius, ut quoque fere loco dici possit quem potissimum sequatur, utrum Theophrastum vel alium bonae frugis philosophum an aliquem ex auctoribus ejus sectae cui ipse addictus est. Sic fol. 88 v⁰ de parte animae humanae Aristotelem loqui recte intellexit, sed ineunte folio sequenti de deo dici putat. Deinde 89 r⁰ post med. redit ad sanam interpretationem, ex quâ quaedam excerpsi quae mihi videbatur Themistius a Theophrasto mutuo sumpsisse, quamquam ea res admodum dubia est: ἡμεῖς οὖν ἢ ὁ δυνάμει νοῦς ἢ ὁ ἐνεργείᾳ. εἴπερ οὖν ἄλλο ἐπὶ τῶν συγκειμένων ἔκ τε τοῦ δυνάμει καὶ τοῦ ἐνεργείᾳ τὸ τόδε καὶ τῷδε, ἄλλο ἂν εἴη τὸ ἐγὼ καὶ τὸ ἐμοὶ εἶναι· καὶ ἐγὼ μὲν ὁ συγκείμενος νοῦς ἐκ τοῦ δυνάμει καὶ τοῦ ἐνεργείᾳ, τὸ δὲ ἐμοὶ εἶναι ἐκ τοῦ ἐνεργείᾳ ἐστίν· ὥστε καὶ ἃ διανοοῦμεν ταῦτα (fort. διανοοῦμεν, καὶ ταῦτα). καὶ ἃ συγγράφω, γράφει μὲν ὁ σύνθετος νοῦς ἐκ τοῦ δυνάμει καὶ τοῦ ἐνεργείᾳ, γράφει δὲ οὐχ ᾗ δυνάμει ἀλλ' ᾗ ἐνεργείᾳ. τὸ γὰρ ἐνεργεῖν ἐκεῖθεν αὐτῷ ἐποχετεύεται . . ὥσπερ οὖν ἄλλο τὸ ζῷον καὶ ἄλλο τὸ ζῴῳ εἶναι, καὶ τὸ ζῴῳ εἶναι παρὰ τῆς ψυχῆς ἐστὶ τοῦ ζῴου, οὕτω καὶ ἄλλο μὲν τὸ ἐγὼ ἄλλο δὲ τὸ ἐμοὶ εἶναι. τὸ οὖν εἶναι ἐμοὶ παρὰ τῆς ψυχῆς, καὶ ταύτης γε οὐ πάσης . . παρὰ τοίνυν μόνου τοῦ ποιητικοῦ (νοῦ) τὸ ἐμοὶ εἶναι. μόνος γὰρ οὗτος εἶδος ἦν ἀκριβῶς, μᾶλλον δὲ οὗτος εἶδος εἰδῶν. Postquam iterum errore vagatus est, fol. 89 v⁰ post med. in viam redit: ἐκ δὲ τῶν αὐτῶν ῥήσεων (Theophrasti) θαυμάσαι κἀκείνων ἄξιον ὅσοι τὸν ποιητικὸν τοῦτον νοῦν ἢ τὸν πρῶτον θεὸν ᾠήθησαν εἶναι κατὰ Ἀριστοτέλην ἢ τὰς προτάσεις καὶ τὰς ἐξ αὐτῶν ἐπιστήμας, αἳ ὕστερον ἡμῖν παραγίνονται. οἱ μὲν γὰρ τὰς προτάσεις . . οἱ δὲ τὸν πρῶτον θεὸν λέγεσθαι . . ὑπολαμβάνοντες τί δή ποτε ἐν αὐτῇ ταύτῃ τῇ ῥή-

σει ταῦτα παρορῶσι; προειπὼν γὰρ . . ἀνάγκη φησὶ (430^{a} 13.) *καὶ ἐν ψυχῇ ὑπάρχειν ταύτας τὰς διαφοράς . .*

Sed redeundum est unde digressi sumus. In loci propositi fine hoc novavimus ut particulam negativam, ubi priore loco inveniebatur, deleremus: scripsimus enim *ἀλλ᾽ ὁτὲ μὲν νοεῖ ὁτὲ δ᾽ οὐ νοεῖ.* Quod jure esse factum vereor ne non possim ita demonstrare ut omnis legentibus dubitatio eripiatur: nolo enim universam Aristotelis de intellectu doctrinam exponere, id quod et alienum est ab hujus libelli indole et per se difficillimum. Quae vero paucis absolvi possunt argumenta, dicam. Ac primum notatu dignum est quod supra (5.) simile quid dictum est: *τοῦ δὲ μὴ ἀεὶ νοεῖν τὸ αἴτιον ἐπισκεπτέον*, idque ubi ejusdem *ἐπιστήμης* mentio erat facta: ut hi loci necessario conferendi sint. Dixit vero ibi quaerendum esse cur non semper cogitet mens. Ergo non semper cogitat. At quî fit ut paulo post Ar. dicat *οὐχ ὁτὲ μὲν νοεῖ ὁτὲ δ᾽ οὐ νοεῖ*, h. e. semper cogitat? An sententiam mutavit quum septendecim illos versus exarabat qui interjecti sunt? Cujus rei causam esse quaerendam modo monuit, quae res ei tanti videbatur momenti ut institutam demonstrationem interpellaret, eam rem jam negat ullam esse? contrarium ait esse verum? Hoc unum est argumentum: alterum petitur ex ipsâ rei veritate et perspicuitate: quis enim homo sese putet semper cogitare? Tertium est quod unus saltem liber scriptus omittit negationem. Quodsi ais casu ibi omissam esse, imo, respondeo, additur in ceteris consilio. Atque non casu omitti in libro *W* haud scio an ideo aliquis mecum credat quod omittendae negationis etiam alii extant ac locupletes auctores: dico autem Theophrastum, Plutarchum Atheniensem, Simplicium, ex quibus solus Theophrastus ad rem conficiendam sufficit. Consilio vero additam esse negationem ex ipsius loci naturâ intelligitur. Nam constat post Aristotelem mortuum vel nullum vel paucissimos hunc locum intellexisse: cujusmodi loci importunis hominum imperitorum conjecturis quantopere sint obnoxii omnes sciunt qui arti criticae operam dant. Atque id quidem in quopiam loco fit minus intellecto etiam vulgaris argumenti: si accedit sectae vel religiosae vel philosophicae studium, tum vero homines, si ne violentissimo quidem interpretandi genere id possunt efficere ut scriptor non suam sed ipsorum sententiam videatur affirmare, a nullâ quam ipsi vocant emendatione quamvis absurda sit abstinent. Id quod hoc loco usu venit. Plotinus enim, quo haberet Aristotelem Platoni consentientem, voluit mentem humanam semper cogitare, ut redigeret Aristotelis verba ad *ἀεικίνητον* illud platonicum. Similia Marinus. Videatur de hac re Philoponus. Vix igitur dubitandum est quin audax illa adverbii negativi interpolatio insano Platonicorum syncretismo debeatur.

Interpolandi, adulterandi, supponendi artifices plurimi haud dubie extiterunt ac sceleratissimi in iis disciplinis quae ab auctoritate potissimum pendent. Nec vero philosophica historia ab eâ improbitate pura est. Habeo ejus rei exemplum tam simplex et, si id in re turpi dici potest, ingenuum, ut risum magis quam indignationem moveat: quod quum ab re propositâ alienum non sit, apponere juvat. Feruntur duo libri de Animâ Alexandri Aphrodisiensis nomine: de quorum auctoritate longum est quaerere. Priorem Alexandri esse putaverim, secundum non item, neque eum unius auctoris. In secundo igitur libro, fol. 144r⁰, haec leguntur: *ἤκουσα δὲ περὶ νοῦ τοῦ θύραθεν παρὰ Ἀριστοτέλους* (add. *τινά*?) *ἃ διεσωσάμην.* (Vides Aristotelis loco ponendum esse nomen magistri ejus qui haec scripsit.) *τὰ γὰρ κινήσαντα Ἀριστοτέλην εἰσαγαγεῖν τὸν θύραθεν νοῦν ταῦτα ἐλέγετο εἶναι.* Quae postquam exposuit, sic pergit fol. 145r⁰ *βουλόμενος δὲ τὸν νοῦν ἀθάνατον δεικνύναι καὶ φεύγειν τὰς ἀπορίας .. κατ᾿ ἰδίαν ἐπίνοιαν ἔλεγεν* interdum in mortali corpore existere quasi quendam ignem vel aliud quid ejusmodi quod instrumentum esse possit intellectûs: idque instrumentum esse *τὸν δυνάμει νοῦν.* Quodsi forte instrumentum illud intercidit, intellectus est *ὡς ὁ τεχνίτης ἀποβαλὼν τὰ ὄργανα· ἐνεργεῖ μὲν καὶ τότε, οὐ μὴν ὑλικὴν καὶ ὀργανικὴν ἐνέργειαν. ἔλεγε δὴ ὅτι εἰ ὅλως ὑπολαμβάνειν χρὴ κατὰ Ἀριστοτέλην θεῖον καὶ ἄφθαρτον εἶναι τὸν νοῦν, οὕτως ἡγεῖσθαι δεῖν, οὐκ ἄλλως. καὶ τὴν λέξιν δὲ τὴν ἐν τῷ τρίτῳ περὶ ψυχῆς τούτοις προσοικοῦν* (l. *προσοικειοῦν*) *ἔλεγε δεῖν.*

Talem igitur *προσοικείωσιν* etiam a Platonicis censendum est factam esse quum negationem insererent. — De negatione iterum a quibusdam audacter additâ agemus quum perventum erit ad 434ᵇ 5.

De loci interpolati sententiâ quid senserit Plotinus, jam supra significavimus. Alexander et Themistius, ut effugerent incommoda quae cuique obvia sunt, videntur sempiternam intellectûs cogitationem de deo dici putasse, deinde a divino ad humanum intellectum traduxisse. Tertia est interpretatio Philoponi: *ὅτι ὁ νοῦς ἀεὶ νοεῖ· οὐ γὰρ τὸν ἕνα ἀριθμῷ νοῦν λέγομεν ἀεὶ νοεῖν, ἀλλ᾿ ὅτι ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ ἀνθρώπινος νοῦς ἀεὶ νοεῖ .. καὶ τῇ διαδοχῇ γίνεται τὸ ἀεί .. οὐ γὰρ ποτὲ μὲν ἐνεργεῖ ὁ νοῦς ποτὲ δ᾿ οὔ, ἐν* (l. *ἔν γε*) *ὅλῳ τῷ κόσμῳ, ἀλλ᾿ ἀεί.* Quod ut verum sit, *ἀλλ᾿ οὐδὲν πρὸς τὸν Διόνυσον.* Quamquam memini ante aliquot annos strenue quaesivisse certos homines ubinam fuerit ‘der an und für sich seiende geist’ quo tempore nondum fuerit genus humanum.

Locum nullum invenio hoc magis idoneum ad transscribenda verba Theophrasti quae e quinto libro Physicorum, qui fuit de

Animâ secundus, laudavit Themistius. Doleo quod non omnes locos exscripsi ubi Themistius de Theophrasti sententiis verba fecit: quum enim initio nomen taceret, nesciebam quis esset ille *ἐξεταστής* vel cujus illa *ἐξέτασις* quam passim laudaret. Nunc autem quum haec scribo, non utor Themistii libro. Adnotavi tamen fol. 68r⁰ ante mediam: *ὧν* (loquitur de placitis Aristotelis quae sunt de motione) *ἔοικεν ἐκλελῆσθαι παντάπασι, καίτοι σύνοψιν ἐκδεδωκὼς τῶν περὶ κινήσεως εἰρημένων Ἀριστοτέλει.* Cf Diog. Laërt. V 44. *περὶ κινήσεως α̅ β̅ γ̅*: iterum 49. *περὶ κινήσεως α̅ β̅*: ex his fortasse compilati sunt libelli illi duo qui Proculi nomine feruntur. — Porro Theophrasti mentionem facit Themistius fol. 74r⁰ post med. fol. 75r⁰ post med. Ipsa vero Theophrasti verba, si recte memini, non laudantur nisi his duobus locis, quorum qui prior est legitur fol. 89v⁰ post mediam paginam: *τοὐναντίον δὲ ἄξιον ἀπορίας διὰ τί ὁ μὴ πάσχων μηδὲ φθειρόμενος οὐ μέμνηται τῶν σὺν τῷ φθειρομένῳ ἐνεργειῶν. ἐπιλύεται δὲ* (Aristoteles) *ἐκεῖ μὲν εἰπών·* (408ᵇ 27.) ʻ*διὸ καὶ τούτου φθειρομένου οὔτε μνημονεύει οὔτε φιλεῖ· οὐ γὰρ ἐκείνου ἦν ἀλλὰ τοῦ κοινοῦ, ὃ ἀπόλωλεν·*ʼ *ἐνταῦθα δέ·* (430ᵃ 23.) ʻ*οὐ μνημονεύομεν δὲ ὅτι τοῦτο μὲν ἀπαθές, ὁ δὲ παθητικὸς νοῦς φθαρτός, καὶ ἄνευ τούτου οὐδὲν νοεῖ*ʼ *οὐδὲ μνημονεύει. οὕτω δὲ καὶ Θεόφραστος ἐν οἷς ἐξετάζων τὰ Ἀριστοτέλους περὶ τοῦ ποιητικοῦ νοῦ ἀπορεῖ·* ʻ*εἰ μὲν γὰρ ὡς ἕξις,*ʼ *φησίν,* ʻ*ἡ δύναμις ἐκείνῳ, εἰ μὲν σύμφυτος, ἀεὶ καὶ εὐθὺς ἐχρῆν· εἰ δ' ὕστερον, μετὰ τίνος;**) *καὶ πῶς ἡ γένεσις; ἔοικε δ' οὖν ὡς ἀγέννητος* (l. *ἀγένητος*), *εἴπερ ἄφθαρτος. ἐνυπάρχων δ' οὖν, διὰ τί οὐκ ἀεί; ἢ διὰ τί λήθη καὶ ἀπάτη; ἢ διὰ τὴν μῖξιν;*ʼ

Alter locus invenitur fol. 91r⁰ ante med. *ἄμεινον δὲ καὶ τὰ Θεοφράστου παραθέσθαι περί τε τοῦ δυνάμει νοῦ καὶ τοῦ ἐνεργείᾳ. περὶ μὲν οὖν τοῦ δυνάμει τάδε φησίν·* ʻ*ὁ δὲ νοῦς πῶς ποτὲ ἔξωθεν ὢν καὶ ὥσπερ ἐπίθετος ὅμως συμφυής* (l. *σύμφυτος*); *καὶ τίς ἡ φύσις αὐτοῦ; τὸ μὲν γὰρ μηδὲν εἶναι ἐνεργείᾳ, δυνάμει δὲ πάντα, καλῶς, ὥσπερ καὶ ἡ αἴσθησις. οὐ γὰρ οὕτως ληπτέον ὡς οὐδὲ αὐτός·***) *ἐριστικὸν γάρ· ἀλλ' ὡς ὑποκειμένην τινὰ δύναμιν, καθάπερ καὶ ἐπὶ τῶν ὑλικῶν. ἀλλὰ τὸ ἔξωθεν ἄρα οὐχ ὡς ἐπίθετον ἀλλ' ὡς ἐν τῇ πρώτῃ γενέσει συμπεριλαμβάνον* (l. *-βανόμενον*) *θετέον.****) *πῶς δέ ποτε*

---

*) Consideranti mihi adverbia temporalia *εὐθύς* et *ὕστερον*, verisimile est, etsi non Themistium, at Theophrastum scripsisse *μετὰ τί*: ut sententia haec sit: *εἰ ἡ τοῦ νοῦ δύναμις οὐ σύμφυτος, ἀλλ' ὕστερον ἐπιγίγνεται, μετὰ τί ἐπιγίγνεται;* Quamquam etiam *μετὰ τίνος* aliquo modo explicari potest.

**) h. e. *εἰ ὁ νοῦς μηδέν ἐστιν ἐνεργείᾳ, οὐδὲ νοῦς ἔσται.*

***) Potest esse interrogatio, *ἆρα .. θετέον;*

γίνεται τὰ νοητά; καὶ τί τὸ πάσχειν αὐτόν; δεῖ γάρ, εἴπερ εἰς ἐνέργειαν ἥξει, ὥσπερ ἡ αἴσθησις. ἀσωμάτῳ δὲ ὑπὸ σώματος τί τὸ πάθος; ἢ ποία μεταβολή; καὶ πότερον ἐπ᾽ (l. *ἀπ᾽*) *ἐκείνου ἡ ἀρχὴ ἢ ἀπ᾽ αὐτοῦ; τὸ μὲν γὰρ πάσχειν ἀπ᾽ ἐκείνου δόξειεν ἄν· οὐδὲν γὰρ ἀφ᾽ ἑαυτοῦ τῶν ἐν πάθει. τὸ δὲ ἀρχὴν* (l. *ἀρχὴ*: correxit Usener.) *πάντων εἶναι καὶ ἐπ᾽ αὐτῷ τὸ νοεῖν καὶ μὴ ὥσπερ ταῖς αἰσθήσεσιν, ἀπ᾽ αὐτοῦ. τάχα δ᾽ ἂν φανείη καὶ τοῦτο ἄτοπον, εἰ ὁ νοῦς ὕλης ἔχει φύσιν μηδὲν ὤν, ἅπαντα δὲ δυνατός᾽ καὶ τὰ ἐφεξῆς· μακρὸν* (adde *γὰρ*) *ἂν εἴη παρατίθεσθαι, καίτοι μὴ μακρῶς εἰρημένα ἀλλὰ λίαν συντόμως τε καὶ βραχέως τῇ γε λέξει· τοῖς γὰρ πράγμασι μεστά ἐστι, πολλῶν μὲν ἀποριῶν, πολλῶν δὲ ἐπιστάσεων, πολλῶν δὲ λύσεων. ἔστι δὲ ἐν τῷ πέμπτῳ τῶν φυσικῶν δευτέρῳ δὲ περὶ ψυχῆς. ἐξ ὧν ἁπάντων δῆλόν ἐστιν ὅτι καὶ περὶ τοῦ δυνάμει σχεδὸν τὰ αὐτὰ διαποροῦσιν, εἴτε ἔξωθέν ἐστιν εἴτε συμφυής,**) *καὶ διορίζειν πειρῶνται πῶς μὲν ἔξωθεν πῶς δὲ συμφυής. λέγουσι δὲ καὶ αὐτὸν ἀπαθῆ καὶ χωριστόν, ὥσπερ τὸν ποιητικὸν καὶ τὸν ἐνεργείᾳ· ʻἀπαθὴς γάρ᾽ φησιν ʻὁ νοῦς, εἰ μὴ ἄρα ἄλλως παθητικός᾽ καὶ ὅτι τὸ παθητικὸν ὑπ᾽* (l. *ἐπ᾽*) *αὐτοῦ οὐχ ὡς τὸ κινητικὸν* (l. *κινητὸν*) *ληπτέον,* (*ἀτελὴς γὰρ ἡ κίνησις,*) *ἀλλ᾽ ὡς ἐνέργειαν. καὶ προϊών φησι τὰς μὲν αἰσθήσεις οὐκ ἄνευ σώματος, τὸν δὲ νοῦν χωριστόν* (haec Aristotelis sunt, 429[b] 4, laudata fortasse a Theophrasto tanquam argumentum). *ἁψάμενος δὲ καὶ τῶν περὶ τοῦ ποιητικοῦ νοῦ διωρισμένων Ἀριστοτέλει ʻἐκεῖνό᾽ φησιν ʻἐπισκεπτέον ὃ* (l. *ὅτι*) *δή φαμεν ἐν πάσῃ φύσει τὸ μὲν ὡς ὕλην καὶ δύναμιν, τὸ δὲ αἴτιον καὶ ποιητικόν, καὶ ὅτι ἀεὶ τιμιώτερον τὸ ποιοῦν τοῦ πάσχοντος καὶ ἡ ἀρχὴ τῆς ὕλης.᾽* (430[a] 10 sqq. 18 sqq.) *ταῦτα μὲν ἀποδέχεται, διαπορεῖ δὲ τίνες οὖν αὗται αἱ δύο φύσεις, καὶ τί πάλιν τὸ ὑποκείμενον ἢ συνηρτημένον τῷ ποιητικῷ· μικτὸν γάρ πως ὁ νοῦς ἔκ τε τοῦ ποιητικοῦ καὶ τοῦ δυνάμει. ʻεἰ μὲν οὖν σύμφυτος ὁ κινῶν, καὶ εὐθὺς ἐχρῆν καὶ ἀεί· εἰ δὲ ὕστερον, μετὰ τίνος; καὶ πῶς ἡ γένεσις; ἔοικεν οὖν καὶ ἀγέννητος* (l. *ἀγένητος*), *εἴπερ καὶ ἄφθαρτος. ἐνυπάρχων δ᾽ οὖν, διὰ τί οὐκ ἀεί; ἢ διὰ τί λήθη καὶ ἀπάτη καὶ ψεῦδος; ἢ διὰ τὴν μῖξιν;᾽ ἐξ ὧν ἁπάντων δῆλόν ἐστιν ὅτι οὐ φαύλως ὑπονοοῦμεν ἄλλον μέν τινα παρ᾽ αὐτοῖς εἶναι τὸν παθητικὸν νοῦν καὶ φθαρτόν, ὃν καὶ κοινὸν ὀνομάζουσι καὶ ἀχώριστον τοῦ σώματος, καὶ διὰ τὴν πρὸς τοῦτο μῖξιν τὴν λήθην καὶ τὴν ἀπάτην γίνεσθαί φησιν ὁ Θεόφραστος, ἄλλον δὲ τὸν ὥσπερ συγκειμενον ἐκ τοῦ δυνάμει καὶ*

---

*) Debebat scribere Themistius *σύμφυτος*: nam *συμφυής* potest esse etiam si extrinsecus advenit: quod vero *σύμφυτον* est, id haud scio an non extrinsecus adveniat.

ἐνεργείᾳ, ὃν καὶ χωριστὸν εἶναι τοῦ σώματος τιθέασι καὶ ἄφθαρτον καὶ ἀγέννητον (l. ἀγένητον)· καὶ πῶς μὲν δύο φύσεις τούτους τοὺς νοῦς, πῶς δὲ μίαν· ἓν γὰρ τὸ ἐξ ὕλης καὶ εἴδους. ἀλλ' ὅπερ εἶπον, τὸ μὲν ἀποφαίνεσθαι περὶ τοῦ δοκοῦντος τοῖς φιλοσόφοις ἰδίας καὶ σχολῆς ἐστὶ καὶ φροντίδος. ὅτι δὲ μάλιστα ἄν τις ἐξ ὧν συνηγάγομεν ῥήσεων λάβοι τὴν περὶ τούτων γνῶσιν Ἀριστοτέλους καὶ Θεοφράστου, μᾶλλον δὲ ἴσως καὶ αὐτοῦ Πλάτωνος, τοῦτο οὖν πρόχειρον ἴσως διϊσχυρίζεσθαι.

Haec multiplicem habent usum: utinam pleniora exscripsisset Themistius. Prior locus particula est alterius:

I. εἰ μὲν γὰρ ὡς ἕξις ἡ δύναμις ἐκείνῳ, εἰ μὲν σύμφυτος, ἀεὶ καὶ εὐθὺς ἐχρῆν· εἰ δ' ὕστερον, μετὰ τίνος; καὶ πῶς ἡ γένεσις; ἔοικε δ' οὖν ὡς ἀγένητος, εἴπερ ἄφθαρτος. ἐνυπάρχων δ' οὖν, διὰ τί οὐκ ἀεί; ἢ διὰ τί λήθη καὶ ἀπάτη; ἢ διὰ τὴν μῖξιν;	II. εἰ μὲν οὖν σύμφυτος ὁ κινῶν, καὶ εὐθὺς ἐχρῆν καὶ ἀεί· εἰ δὲ ὕστερον, μετὰ τίνος; καὶ πῶς ἡ γένεσις; ἔοικεν οὖν καὶ ἀγένητος, εἴπερ καὶ ἄφθαρτος. ἐνυπάρχων δ' οὖν, διὰ τί οὐκ ἀεί; ἢ διὰ τί λήθη καὶ ἀπάτη καὶ ψεῦδος; ἢ διὰ τὴν μῖξιν;

Initium ubi secundo loco ponitur esse mutilatum et corruptum, non a Themistio negligenter laudatum, apparet ex ὁ κινῶν, quod ex ἐκείνῳ factum est. Etiam in ceteris sincera videtur prior scriptura, ita tamen ut ἔοικεν οὖν καὶ ἀγένητος, εἴπερ καὶ ἄφθαρτος ex alterâ suscipiendum sit. (Cf de structurâ Arist. de An. *Α* 1. 403ª 7—8.) Atque haec hactenus. Concludimus vero e Theophrasti verbis eum legisse ἀλλ' ὁτὲ μὲν νοεῖ ὁτὲ δ' οὐ νοεῖ, nullâ positâ post ἀλλά negatione: universa enim haec ἀπορία inde oritur quod non statim postquam natus est neque semper cogitat homo vel hominis intellectus. Deinde huic parti scriptionis aristoteleae haud exigua accedit auctoritas: apparet enim eadem illa a Theophrasto explicari quae nos legimus. Tertio non sine veri specie aliquis colligat e laboriosâ Theophrasti interpretatione Aristotelem in nullo eorum librorum qui aetatem non tulerunt datâ operâ ac diligenter de intellectu disseruisse. Si vero quis contendit ne Theophrastum quidem intellexisse quae de intellectu Aristoteles divinanda magis quam intelligenda reliquit, me non habebit consentientem: incerta enim res est, ac probabilior contraria sententia. Paulo confidentius hoc dicam: collatis ceteris ejusdem operis theophrastei reliquiis, quae satis multae sunt, in quibus longe diverso utitur disserendi genere, videtur mihi Theophrastus exposuisse Aristotelis de intellectu sententiam diligenter et quam clarissime poterat, non ita tamen quasi ipse probaret.

Sed de tribus literis satis mihi videor disseruisse ac vereor ne plus quam satis. Finem igitur huic commentationi ita imponam ut transscribam ea Simplicii verba ex quibus apparet ne illum quidem negationem legisse: *ἐπὶ δὲ τῶν ἀϊδίων μὲν ποτὲ δὲ νοούντων καὶ αὖ ποτὲ μὴ νοούντων οὐδὲ ἐν τῷ ἑνὶ πρότερον τὸ δυνάμει χρόνῳ* . . et paulo post: *ἐκεῖνο ἀληθῶς* (int. *ἀξιοῖ*) *ὑπάρχειν, τὸ ποτὲ μὲν νοεῖν αὐτὴν* (int. *τὴν ψυχήν*) *ποτὲ δὲ μὴ νοεῖν.* Eadem paulo post iterum leviter mutata. Denique ubi ad 431[a] 2. pervenit Simplicius, disertis verbis *ἀλλ' ὁτὲ μὲν νοεῖ* inquit *ὁτὲ δὲ οὐ νοεῖ, ὡς ἐν ἐκείνοις ἔφη.*

CAPUT SEXTUM.

§ 1—2. 430[a] 26. *ἡ μὲν οὖν*—[b] 6. *ἕκαστον.* Locus geminus. Bis quidque dici tam manifestum est ut satis sit indicasse. In vulgatis editionibus exemplum falsae copulationis alterum omittebatur (*ἢ τὸ σύμμετρον καὶ ἡ διάμετρος*) alterum manifesto corruptum erat (*τὸ λευκὸν μὴ λευκὸν τὸ μὴ λευκόν*). Legebatur porro 31. *ἂν δὲ γινομένων ἢ ἐσομένων*: scripsi *γενομένων*, ut et codicum auctoritati et sententiae necessitati obtemperarem. Sic *γενέσθαι ἢ εἶναι ἢ ἔσεσθαι* legitur 1047[a] 12: alia similia non dubito quin inventurus sit multa si quis quaerere velit.

Quod 430[b] 1. legitur *καὶ συντιθείς*, id ab interpolatore additum est quo tempore verba ambarum editionum jam in unum erant corpus redacta et altera alteris continuata. Quum enim verba [a] 1. *τὸ γὰρ ψεῦδος ἐν συνθέσει ἀεί* in praegressis nihil haberent quo referrentur, quisquis fuit ille addidit *καὶ συντιθείς*: infelici successu. Nam Cleonem et album *συντίθεμεν* si dicimus *Κλέων λευκός ἐστιν*: sin *Κλέων λευκὸς ἦν* vel *ἔσται*, *προσεννοοῦμεν* quidem tempus atque etiam *προσσημαίνομεν*, sed non componimus tempus cum Cleone. Cf de Mem. 1. 450[a] 21. *προσαισθάνεται ὅτι πρότερον.* Hoc incommodum non sensit interpolator, neque aliud multo illo gravius: nam ne additis quidem verbis ullus sensus existit qui ferri possit. Quid enim id est: 'res vel praeteritas vel futuras ita cogitat ut simul tempus intelligat et componat: nam mendacium semper in compositione est'? Interpolator ergo sensit quidem omnem sententiarum nexum post *τὸν χρόνον προσεννοῶν* subito abrumpi, sed quum ejus rei causam, quae est duarum recensionum contaminatio, perspectam non haberet, addidit verba et per se absurda et quae ne id quidem quod ille volebat praestare possint: ut aliqua sententiarum series existeret et connexus.

Quae 4. leguntur *ἀλλ' οὖν ἔστι γε οὐ μόνον τὸ ψεῦδος ἢ ἀληθὲς ὅτι λευκὸς Κλέων ἐστίν, ἀλλὰ καὶ ὅτι ἦν ἢ ἔσται*, quum et *γέ* absurdum sit et vocabulorum positus perversus, ea his vitiis

liberantur si legis: *ἀλλ᾽ οὖν ἐστὶ τὸ ψεῦδος ἢ ἀληθὲς οὐ μόνον ὅτι λευκὸς Κλ. ἐστίν, ἀλλὰ καὶ ὅτι ἦν ἢ ἔσται.*

Superest ut dicam de verbis 3. *ἐνδέχεται δὲ καὶ διαίρεσιν φάναι πάντα.* Ea esse corrupta facile apparet. Quid enim? omnia sunt *διαίρεσις*? *ὁ ἄνθρωπός ἐστι διαίρεσις*? *τὸ λευκὸν διαίρεσις*? *ἡ σύνθεσις διαίρεσις*? et sic in infinitum? Videtur igitur quaerendum esse qui sit universi loci sensus, ut ex eo invento ipsorum verborum medicinam petamus. Sed incertus haereo. Video quidem duas interpretandi rationes quibus ad sententiam et dignam Aristotele nec ab universi loci argumento alienam perveniri possit: sed hoc ipsum nocet quod duae sunt eaeque aeque probabiles. Sed accidit quod vix sperari poterat: utram enim cunque ingredieris, ad eandem pervenietur emendationem, quae est ut aut *ταῦτα* aut *τὰ τοιαῦτα* scribamus pro eo quod in libris scriptis est *πάντα*: quorum quum *ταῦτα* a literis traditis propius absit, id cooptandum censui. Nec id omni externâ auctoritate caret: Themistius enim ubi hunc locum interpretatur *τὰ τοιαῦτα* scribit, Philoponus *ἄμφω*, ut neutrum *πάντα* legisse certum sit. — Jam tempus est proponere duas illas hujus loci interpretationes quas mihi aeque verisimiles esse dixi: tu, lector acute, meliorem dignosces.

Exemplorum propositorum alterum hoc erat: *τὸ λευκὸν οὐ λευκόν.* Est autem exemplum non solum copulationis sed falsae copulationis. Ponamus, ut meram habeamus copulationem sive veram sive falsam, *τόδε οὐ λευκόν.* Estne ea *σύνθεσις*? imo tollitur notio albedinis, vel, ut aristotelio more loquar, non est *κατά τινος*, sed *ἀπό τινος*. Quodsi nihil nisi formam spectas, *σύνθεσις* potest vocari, sin ipsam rem, contrarium potius erit. Quod vero *τῇ συνθέσει* contrarium est, id ipse appellat *διαίρεσιν*: de Interpr. 1. 16ª 9. *ἔστι δ᾽ ὥσπερ ἐν τῇ ψυχῇ ὁτὲ μὲν νόημα ἄνευ τοῦ ἀληθεύειν ἢ ψεύδεσθαι, ὁτὲ δὲ ἤδη ᾧ ἀνάγκη τούτων ὑπάρχειν θάτερον, οὕτω καὶ ἐν τῇ φωνῇ· περὶ γὰρ σύνθεσιν καὶ διαίρεσίν ἐστι τὸ ψεῦδός τε καὶ τὸ ἀληθές. τὰ μὲν οὖν ὀνόματα αὐτὰ καὶ τὰ ῥήματα ἔοικε τῷ ἄνευ συνθέσεως καὶ διαιρέσεως νοήματι κτἑ.* cf Met. *Θ* 10. Potest igitur Ar. hoc dicere: ea *σύνθεσις* quae est negati praedicati cum subjecto potest eodem jure *διαίρεσις* vocari.

Altera ratio haec est. Quid sit *τὸ ἀδιαίρετον* ipse hoc ipso capite demonstravit: aut enim est *τὸ τῷ εἴδει ἀδιαίρετον* aut *τὸ κατὰ ποσὸν ἀδιαίρετον* aut denique ipsa distinctio, ut punctum: nam ea quoque individua est. (Legatur de individuo Met. iota 1, cum Bonitzii commentario.) Quorum praecipuum est quod et Aristoteles et nos eum secuti primo posuimus loco. Quodsi in explicando *τῷ ἀδιαιρέτῳ* de *διαιρέσει* Ar. loquitur, licet suspicari (ut minimum dicam) ea inter se opponi, sicuti opponuntur, ubi de

quanto individuo loquitur, versu undecimo. At alio loco Ar. docet *τὸ ἀδιαίρετον*, (notionem simplicem, quae uno vocabulo continetur,) dividi quodammodo per definitionem, idque *διαιρεῖσθαι* vocat. Quae enim in notione simplici adhuc latebant, genus et differentia specifica, ea in definitione jam expressa ponuntur. Invenitur Aristotelis locus Phys. *Α* 1. 184[a] 21. *ἔστι δ' ἡμῖν πρῶτον δῆλα καὶ σαφῆ τὰ συγκεχυμένα μᾶλλον· ὕστερον δ' ἐκ τούτων γίνεται γνώριμα τὰ στοιχεῖα καὶ αἱ ἀρχαὶ διαιροῦσι ταῦτα*: et paulo post, [a] 26. *πέπονθε δὲ ταὐτὸ τοῦτο τρόπον τινὰ καὶ τὰ ὀνόματα πρὸς τὸν λόγον· ὅλον γάρ τι καὶ ἀδιορίστως σημαίνει, οἷον ὁ κύκλος· ὁ δὲ ὁρισμὸς αὐτοῦ διαιρεῖ εἰς τὰ καθ' ἕκαστα.*

Haec ratio doctior est, altera simplicior, ad Aristotelis placita exacta utraque.

§ 3—6. 430[b] 6. *τὸ δ' ἀδιαίρετον*—21. *στέρησις*. Inextricabilem hujus loci confusionem facillime digessi postquam intellexi verba 17. *ἔνεστι*—20. *μήκει* suo loco esse depulsa: scribenda enim erant post 9. *ὁμοίως*—10. *μήκει*: horum enim verborum illa repraesentant primam vel certe priorem recensionem. Et alieno illa esse loco posita facile concedet qui universi loci rationem perspexerit. Quum enim loquatur Ar. 14. de eo quod est *μὴ κατὰ ποσὸν ἀδιαίρετον ἀλλὰ τῷ εἴδει*, subito redit ad ea quae sunt *κατὰ ποσὸν ἀδιαίρετα*, nullam omnino ob causam. Quod quum sensisset antiquus nescio qui editor, ut haberent verba *ἔνεστι γὰρ κἀν τούτοις τι ἀδιαίρετον κτλ.* — ut haec haberent quo referrentur, foedâ interpolatione ante haec verba addidit *ἀλλ' ᾗ ἀδιαίρετα.* Vides in his plane eodem modo versatum esse interpolatorem ac supra [b] 1, ubi eodem consilio *καὶ συντιθείς* addidit. Sed non patiemur nobis verba dari: haec enim tam manifesto absurda sunt ut nihil possit supra. Quum enim dicat Ar. *κατὰ συμβεβηκὸς δέ, καὶ οὐχ ᾗ ἐκεῖνα* (int. *νοεῖ*), *διαιρετὰ ᾧ* (vel *ᾧ τε*) *νοεῖ καὶ ἐν ᾧ χρόνῳ*, intelligis *οὐχ ᾗ ἐκεῖνα* esse idem ac *οὐχ ᾗ ἀδιαίρετα*: jam quî quaeso his potest addi *ἀλλ' ᾗ ἀδιαίρετα*? — Sed ut ne nimis noceant, quasi quadam vindictâ divinâ fieri solet ut interpolatorum genus etiam stupidius agat quam scelestius.

Reliqua faciliora sunt. Primum suasi legatur 6. *τὸ δ' ἀδιαίρετον ἐπεὶ διχῶς, ἢ δυνάμει ἢ ἐνεργείᾳ, οὐθὲν κωλύει νοεῖν τὸ διαιρετὸν ᾗ ἀδιαίρετον, οἷον ὅταν νοῇ τὸ μῆκος,* (*ἀδιαίρετον γὰρ ἐνεργείᾳ,*) *καὶ ἐν χρόνῳ ἀδιαιρέτῳ*: ante nos omittebantur verba *διαιρετὸν ᾗ* et *οἷον* et interpungebatur male. De *οἷον* omisso diximus ad 415[a] 2. Quominus verba illa inter Aristotelis textum referremus, hoc unum obstitit quod scriptis libris omnibus desunt. Ceterum enim de eorum fide dubitari non potest. Dicit autem Ar. hoc: quae per se dividua sunt, velut magnitudo, quia dividi tantum possunt, re verâ vero una sunt et individua, possu-

mus ea cogitare tanquam individua. — Deinde ex constanti Aristotelis usu 10. imperfectum scribendum erat, *ἐνόει*.

§ 6. 430[b] 23. Legebatur *δεῖ δὲ δυνάμει εἶναι τὸ γνωρίζον καὶ ἐνεῖναι ἐν αὐτῷ. εἰ δέ τινι μή ἐστιν ἐναντίον τῶν αἰτίων, αὐτὸ ἑαυτὸ γινώσκει καὶ ἐνεργείᾳ ἐστὶ καὶ χωριστόν*: mendose, si quid video. Videamus primum de sententiâ. Dixerat Ar. de iis cognoscendis quae, sicut malum, privata sunt aliquo habitu, eaque hoc ipso habitu cognosci affirmaverat cui quidque contrarium esset: notâ admodum sententiâ. Addit *δεῖ δὲ δυνάμει εἶναι τὸ γνωρίζον*. Possit enim aliquis ita ratiocinari: quî fit ut intellectus per positivam seriem contrariorum cognoscat privativam? cognatio ergo ei intercedit cum positivâ serie? an ipse intellectus id est quod in rebus positivum est? vel ad minimum id quod in universâ positivâ serie analogiâ idem est?*) — Hunc igitur errorem praecavet Ar. quum dicit *δεῖ δὲ δυνάμει εἶναι τὸ γνωρίζον*: h. e. intellectus, qui actu nihil est antequam intelligat, potentiâ utrumque est, et habitus et privatio. Similia de sensibus tradebantur supra, 424[a] 7—10. cf 422[a] 20—31. Jam quum quidam libri praebeant *καὶ ἓν εἶναι ἐν αὐτῷ*, *W* vero *καὶ ἓν εἶναι αὐτῷ*, certum videtur ab Aristotele scriptum fuisse *καὶ μὴ ἓν εἶναι αὐτῶν*, h. e. intellectum esse potentiâ utrumque nec vero alterum ex contrariis, v. c. bonum. — Superest quaestio contra quem haec dicta sint e veteribus philosophis. Similia nonnulli docuerunt ex iis qui animam ex elementis componebant: 405[b] 24. *οἱ δὲ θάτερον τῶν ἐναντίων, οἷον θερμὸν ἢ ψυχρὸν ἤ τι τοιοῦτο ἄλλο, καὶ τὴν ψυχὴν ὁμοίως ἕν τι τούτων τιθέασιν*: idque quodammodo probat Ar., nempe sub eâ condicione ut recte anima ex elementis componatur, 411[a] 2—7. Multo vero probabilius est haec contra Platonem esse disputata: is enim *τὸν νοῦν* voluit esse *τὸν ταὐτοῦ κύκλον*, (*ταὐτῷ* vero contrarium est *θάτερον*,) contra quam sententiam diligenter et accurate disputavit Ar. 406[b] 25—407[b] 12.

Difficilius est definire quid lateat sub his verbis: *εἰ δέ τινι μή ἐστιν ἐναντίον τῶν αἰτίων* (*τῶν ἐναντίων S.*), *αὐτὸ ἑαυτὸ γινώσκει καὶ ἐνεργείᾳ ἐστὶ καὶ χωριστόν.* Primum moneo, ne verba nos fallant, ea sic esse construenda: *εἰ δέ τινι τῶν αἰτίων μή ἐστιν ἐναντίον*, 'si cui causae (vel ex causis) non est contrarium': atque illud, quidquid est, dicit esse intellectum. — Ubi Ar. sic simpliciter de causis loquitur, non possunt intelligi nisi notissimae illae quatuor quarum vis universam ejus philosophiam pervadit, dico autem causam materialem, formalem, motricem, finalem. Spectandum igitur est num quod sit genus causae cui nihil sit contrarium: quo invento invenerimus intellectum.

---

*) Simile est illud 'Gott ist der Inbegriff aller Realitäten'.

Qua de re sic statuendum est. Non solus Ar. principia contraria esse vult sed omnes fere philosophi graeci: quam rem Naturalis Auscultationis quarto capite demonstratam ineunte capite quinto diserte affirmat Ar.: *πάντες δὴ τἀναντία ἀρχὰς ποιοῦσιν*, et hanc ejus rei causam addit paulo post, 188ª 27. *καὶ τοῦτο εὐλόγως· δεῖ γὰρ τὰς ἀρχὰς μήτε ἐξ ἀλλήλων εἶναι μήτε ἐξ ἄλλων, καὶ ἐκ τούτων πάντα· τοῖς δ' ἐναντίοις τοῖς πρώτοις ὑπάρχει ταῦτα, διὰ μὲν τὸ πρῶτα εἶναι μὴ ἐξ ἄλλων, διὰ δὲ τὸ ἐναντία μὴ ἐξ ἀλλήλων*: (cf Met. *Γ* 2. 1004ᵇ 31:) quae verba non multum spei reliquum faciunt ut inveniamus causam cui non sit contrarium. Eandem rem Ar. in iis quae sequuntur diligenter stabilit alio modo: legantur capita 5, 6, 7, imprimis ubi quaerit utrum duo sint principia an tria, et demonstrat quodammodo esse tria, formam, privationem, materiam, quodammodo duo tantum, quia materia quatenus materia est semper cum privatione est conjuncta, quamquam privationis definitio a definitione materiae diversa est: 190ᵇ 36. *διὰ τὸ ἕτερον ὑπάρχειν τὸ εἶναι αὐτοῖς.* Quodsi forma et privatio inter se contrariae sunt, restat materia, *τὸ ὑποκείμενον· τοῦτο γὰρ οὐκ ἐναντίον*, 190ᵇ 34. Quodsi revertimur ad locum unde profecti sumus: materia igitur illud quod quaerimus erit, cui non sit contrarium? materia se ipsa cognoscit et actu est et absolutum? Hoc adeo absurdum est ut pudeat verbum addere.

Jam videamus de causâ movente et finali. Ar. non videtur unquam quaesivisse utrum causae motrici vel finali sit aliquid contrarium necne. Possit quidem dicere aliquis eas inter se ipsas esse contrarias. Nam *τὸ οὗ ἕνεκα* idem est *τὸ τέλος*: nihil autem fit nisi causa motrix adsit: ea autem principium est et initium gignendi, *τὸ ὅθεν ἡ κίνησις*. Ac si solam notionem spectas, haud dubie verum est causam motricem causae finali esse quodammodo oppositam, *ἀντικεῖσθαι* (Met. *B* 2. 996ᵇ 23. . . *τὴν ἀρχὴν τῆς κινήσεως· τοῦτο δ' ἕτερον καὶ ἀντικείμενον τῷ τέλει*): contrariam esse nego, quia neutra est privativa: at contrarium alterum privativum esse constat, Met. iota 4. 1055ᵇ 26. *ὥστε φανερὸν ὅτι ἀεὶ θάτερον τῶν ἐναντίων λέγεται κατὰ στέρησιν.* Idem apparebit si a notionibus ad rem ipsam descendes: nam homo homini non est contrarius: at *ἄνθρωπος ἄνθρωπον γεννᾷ*, h. e. causa motrix specie eadem est ac causa finalis. Phys. *B* 7. 198ª 22. *ἐπεὶ δ' αἱ αἰτίαι τέτταρες, περὶ πασῶν τοῦ φυσικοῦ εἰδέναι, καὶ εἰς πάσας ἀνάγων τὸ διὰ τί ἀποδώσει φυσικῶς, τὴν ὕλην, τὸ εἶδος, τὸ κινῆσαν, τὸ οὗ ἕνεκα. ἔρχεται δὲ τὰ τρία εἰς τὸ* (*τὸ* del. Bon.) *ἓν πολλάκις· τὸ μὲν γὰρ τί ἐστι καὶ τὸ οὗ ἕνεκα ἕν ἐστι, τὸ δ' ὅθεν ἡ κίνησις πρῶτον τῷ εἴδει ταὐτὸ τούτοις· ἄνθρωπος γὰρ ἄνθρωπον γεννᾷ.* Quodsi hae causae non sunt inter se contrariae,

multo minus aliud quid reperietur quod alteri utri sit contrarium. Nec id mirum: substantiae enim sunt, substantiae vero nihil est contrarium, Phys. *Α* 6. 189ª 32. *οὐκ εἶναί φαμεν οὐσίαν ἐναντίαν οὐσίᾳ.* Quum igitur quaereremus aliquam causam cui nihil esset contrarium, pro unâ duae inventae sunt. Utra igitur est, causa motrix an finalis, de quâ recte haec dicantur: *αὐτὸ ἑαυτὸ γινώσκει καὶ ἐνεργείᾳ ἐστὶ καὶ χωριστόν*?

Quodsi derelinquendi sunt libri scripti, quorum scriptura interpretando defendi ac purgari non potest, ad conjecturam confugiendum est. Nimis absurdum enim est quod solus *S* praebet: *εἰ δέ τινι μή ἐστιν ἐναντίον τῶν ἐναντίων.* Quamquam *τῶν ἐναντίων* non est leviter aspernandum: videtur enim sic scripsisse Ar.: *εἰ δέ τι μηθενί ἐστιν ἐναντίον τῶν ἐναντίων*, 'at si quid est quod nulli contrariorum sit contrarium'. Quod quamquam etiam alio modo potest demonstrari, tamen, ne cogamur universam Aristotelis de intellectu doctrinam explanare, satis esto locum laudasse quo plane idem dicitur: intellectum esse ab omni contrarietate immunem: Met. *Α* 10. 1075ᵇ 20. *καὶ τοῖς μὲν ἄλλοις ἀνάγκη τῇ σοφίᾳ καὶ τῇ τιμιωτάτῃ ἐπιστήμῃ* (h. e. sapientiae, quae est altissimum scientiae genus: *καί* explicativum. Sapientia et principii est et eorum quae sunt ex principio, Eth. Nic. *Z* 7. 1141ª 16—20.) *εἶναί τι ἐναντίον, ἡμῖν δ' οὔ· οὐ γάρ ἐστιν ἐναντίον τῷ πρώτῳ* (h. e. *τῷ νῷ*) *οὐθέν.* Videatur etiam Bonitzii Commentarius. Ex Aristotelis sententiâ nihil esse quod intellectui sit contrarium, etiamsi non diceretur expresse, facile syllogismo effici posset. Si enim esset, contrarium illud deberet esse privativum (Met. iota 4. post med.) et ambo contineri superiori aliquo genere, sicuti album et nigrum genere coloris continentur. At intellectus ipse est summum principium et quo nihil est superius. Ergo intellectui nihil est contrarium. — Denique *τὰ ὑπάρχοντα καθ' αὑτό* sic facile intelliguntur. Intellectus est immortalis et aeternus: cur? quia quidquid perit, per contrarium perit: de Coelo *Α* 3. 270ª 12. *ὁμοίως δ' εὔλογον ὑπολαβεῖν περὶ αὐτοῦ* (int. *τοῦ κύκλῳ σώματος*) *καὶ ὅτι ἀγένητον καὶ ἄφθαρτον καὶ ἀναυξὲς καὶ ἀναλλοίωτον, διὰ τὸ γίγνεσθαι μὲν ἅπαν τὸ γιγνόμενον ἐξ ἐναντίου τε καὶ ὑποκειμένου τινός, καὶ φθείρεσθαι ὡσαύτως ὑποκειμένου τέ τινος καὶ ὑπ' ἐναντίου καὶ εἰς ἐναντίον· .... τῶν δ' ἐναντίων καὶ αἱ φοραὶ ἐναντίαι. εἰ δὴ τούτῳ μηδὲν ἐναντίον ἐνδέχεται εἶναι διὰ τὸ καὶ τῇ φορᾷ τῇ κύκλῳ μὴ εἶναι ἄν τιν' ἐναντίαν κίνησιν, ὀρθῶς ἔοικεν ἡ φύσις τὸ μέλλον ἔσεσθαι ἀγένητον καὶ ἄφθαρτον ἐξελέσθαι ἐκ τῶν ἐναντίων· ἐν τοῖς ἐναντίοις γὰρ ἡ γένεσις καὶ ἡ φθορά.* Item cur *ἀπαθής, ἀμιγής, χωριστός, τῇ οὐσίᾳ ἐνέργεια*: caret enim materiâ, quae universae contrarietatis causa est: Met. *Α* 6. 1071ᵇ 19.

δεῖ ἄρα εἶναι ἀρχὴν τοιαύτην ἧς ἡ οὐσία ἐνέργεια. ἔτι τοίνυν ταύτας δεῖ τὰς οὐσίας εἶναι ἄνευ ὕλης· ἀϊδίους γὰρ δεῖ...

His omnibus rebus perpensis conjectura mea, (quae est ut scribatur *τι μηθενί* pro *τινι μή*,) non videtur mihi justo esse audacior, praesertim in loco desperato. Accedit quod sententia quae ex propositâ conjecturâ derivatur artissime cohaeret cum iis quae praecedunt. Primum enim dixerat Ar. mentem intelligere *τὴν στερητικὴν συστοιχίαν τῆς ἐναντιώσεως* per eam *συστοιχίαν* quae illi est contraria, v. c. malum per bonum. Facile poterat aliquis inde colligere ipsum intellectum esse illam habitualem seriem quae analogiâ eadem omnes contrarietates pervadit. Cui errori ita obviam it ut dicat: *δεῖ δὲ δυνάμει εἶναι τὸ γνωρίζον καὶ μὴ ἓν εἶναι αὐτῶν.* Quam rem sic conficit ut adjungat novam rationem: intellectum in universum ab omni contrarietate esse immunem.

Hactenus ita disputavimus quasi dubium non esset quin sic esset legendum: *εἰ δέ τι μηθενί ἐστιν ἐναντίον τῶν ἐναντίων*, propterea quod hanc nobis legem scripsimus ut a scripturâ in libris scriptis traditâ nunquam recederemus nisi summâ flagitante necessitate. Attamen ne, dum modestiae laudem quaero, incurram crimen timiditatis, non tacebo ne sic quidem videri mihi Aristotelis manum restitutam esse: scripsit enim nisi fallor sic: *εἰ δέ τι μηθενί ἐστιν ἐναντίον τῶν ὄντων*: quod sicuti eandem fere sententiam praebet quam Aristotelis esse supra demonstravimus, ita ad enunciationem multo est facilius. Deinde vero ab *αἰτίων*, quod plerique et optimi habent libri, *ὄντων* non ita multum abest. Si enim hujus vocis prima litera obliterata erat in codice archetypo, *ΝΤΩΝ* facile poterat legi *ΑΙΤΩΝ*, id vero, quum nullum haberet sensum, in *ΑΙΤΙΩΝ* emendari. Ex eodem *ΝΤΩΝ* etiam *ΕΝΑΝΤΙΩΝ*, quod est codicis *S*, facile derivatur.

§ 7. 430^{b} 26. *ἔστι δ' ἡ μὲν φάσις τι κατά τινος, ὥσπερ ἡ κατάφασις, καὶ ἀληθὴς ἢ ψευδὴς πᾶσα.*] Quid de hoc loco statuendum sit non potest intelligi nisi intellexerimus quid sit *ἡ φάσις*. Videor autem tres mihi hujus vocabuli deprehendere significatus. 1, Primum enim idem est atque *ἀπόφανσις*: quae quid ipsa sit intelliges lecto loco qui est de Interpr. 6. 17^{a} 25. *κατάφασις δέ ἐστιν ἀπόφανσίς τινος κατά τινος* (h. e. praedicatio, aussage): *ἀπόφασις δέ ἐστιν ἀπόφανσίς τινος ἀπό τινος.* Jam pro *ἀπόφανσις* dicitur *φάσις* de Interpr. 12. 21^{b} 17. *ἀλλὰ μὴν ἀδύνατον κατὰ τοῦ αὐτοῦ ἀληθεύεσθαι τὰς ἀντικειμένας φάσεις*, h. e. *τὴν κατάφασιν καὶ τὴν ἀπόφασιν*, quas vidimus esse *ἀποφάνσεις*. Hoc igitur loco *ἡ φάσις* est genus earum specierum quae numero duae sunt, dico autem affirmationis et negationis.

At non hoc sensu potest Ar. scripsisse *ἔστι δ' ἡ μὲν φάσις τι κατά τινος, ὥσπερ ἡ κατάφασις* vel, quod *W* praebet, *ὥσπερ*

καὶ ἡ κατάφασις: scripsisset enim, sicut ubique scribit ubi ex genere descendit ad species declarandas, *οἷον ἡ κατάφασις* vel *οἷον ἡ κατάφασις καὶ ἡ ἀπόφασις*. Nec homo graecus, ubi species cum genere conjungitur, eo vocabulo quod est *ὥσπερ* unquam usus est (*οἱ ἄνθρωποι δίποδες, ὥσπερ οἱ Ἕλληνες* vel *ὥσπερ καὶ οἱ Ἕλληνες*): ibi enim *οἷον* suum locum habet, *ὥσπερ* in iis enunciatis quibus quod de uno subjecto praedicatum erat ad aliud subjectum extenditur (*οἱ Ἕλληνες περιττοί, ὥσπερ καὶ ἔνιοι τῶν βαρβάρων*). — Hactenus igitur Ar. videtur aut sic potuisse scribere: a, *ἔστι δ᾽ ἡ μὲν κατάφασίς τι κατά τινος, ὥσπερ καὶ ἡ ἀπόφασις*, aut sic: (b,) *ἔστι δ᾽ ἡ μὲν φάσις* (h. e. *ἀπόφανσις*) *τι κατά τινος, οἷον ἡ κατάφασις καὶ ἡ ἀπόφασις*.

2, Sed est et alius vocis *φάσις* significatus: nonnunquam enim idem est atque ipsa *κατάφασις*. Anal. Prior. *A* 13. 32ᵃ 27, *κατὰ παντὸς γὰρ ἡ φάσις ἢ ἡ ἀπόφασίς ἐστιν*: quo loco nisi fallor scribendum est *κατὰ παντὸς γὰρ ἢ φάσις ἢ ἀπόφασίς ἐστιν*: siquidem non hoc dicit: ʻnam affirmatio aut negatio universalis est,ʼ sed hoc: ʻde quapiam enim re aut affirmetur aut negetur necesse est.ʼ Ibidem 46. 51ᵇ 32. *εἰ οὖν κατὰ παντὸς ἑνὸς ἢ φάσις ἢ ἀπόφασις ἀληθής*. Met. *Γ* 4. 1008ᵃ 2. *ταῦτά τε οὖν συμβαίνει τοῖς λέγουσι τὸν λόγον τοῦτον καὶ ὅτι οὐκ ἀνάγκη ἢ φάναι ἢ ἀποφάναι*. Ibid. 1008ᵃ 7. *ἔτι ἤτοι περὶ ἅπαντα οὕτως ἔχει καὶ ἔστι καὶ λευκὸν καὶ οὐ λευκὸν καὶ ὂν καὶ οὐκ ὄν, καὶ περὶ τὰς ἄλλας φάσεις καὶ ἀποφάσεις ὁμοιοτρόπως, ἢ οὔ*. 432ᵃ 10. *ἔστι δ᾽ ἡ φαντασία ἕτερον φάσεως καὶ ἀποφάσεως· συμπλοκὴ γὰρ νοημάτων ἐστὶ τὸ ἀληθὲς ἢ ψεῦδος*. Plura dabunt Waitz. ad 32ᵃ 28 et Bonitz. ad 1008ᵃ 9 et 34.

Quodsi *φάσις* idem est ac *κατάφασις*, apparet multo etiam minus esse legendum *ἔστι δ᾽ ἡ μὲν φάσις τι κατά τινος, ὥσπερ (καὶ) ἡ κατάφασις*, sed potius (c,) *ἔστι δ᾽ ἡ μὲν φάσις τι κατά τινος, ὥσπερ καὶ ἡ ἀπόφασις*.

3, Jam perventum est ad tertiam *τῆς φάσεως* significationem: quae optime intelligetur e Met. *Θ* capite deximo. Quaerit ibi Ar. quid sit verum et falsum et esse et non esse si agatur de notionibus extra enunciati nexum positis, velut si quis dicat: homo: et respondet de notionibus solutis non eodem sensu quo in enunciatis dijudicandis verum dici aut falsum et esse aut non esse: sed verum esse idem atque intelligere, falsum ignorare: sic enim liceat Aristotelis verba interpretari. E quibus quae ad rem nostram pertinent haec sunt: 1051ᵇ 22. *ἢ ὥσπερ οὐδὲ τὸ ἀληθὲς ἐπὶ τούτων τὸ αὐτό, οὕτως οὐδὲ τὸ εἶναι· ἀλλ᾽ ἔστι τὸ μὲν ἀληθὲς τὸ δὲ ψεῦδος, τὸ μὲν θιγεῖν καὶ φάναι ἀληθές, (οὐ γὰρ ταὐτὸ κατάφασις καὶ φάσις,) τὸ δ᾽ ἀγνοεῖν μὴ θιγγάνειν· ἀπατηθῆναι γὰρ*

περὶ τὸ τί ἐστιν οὐκ ἔστιν ἀλλ' ἢ κατὰ συμβεβηκός. Ut igitur exemplis utar quae ipse adhibet b 20., si quis *τὸ ξύλον λευκόν* dicit vel *ἡ διάμετρος ἀσύμμετρος*, erit *κατάφασις*, sin *ξύλον* tantum vel *διάμετρος*, *φάσις*. Idem apparet e libello de Interpr. 4. 16[b] 26. *λόγος δέ ἐστι φωνὴ σημαντικὴ ἧς τῶν μερῶν τι σημαντικόν ἐστι κεχωρισμένον, ὡς φάσις ἀλλ' οὐχ ὡς κατάφασις. λέγω δὲ οἷον ἄνθρωπος σημαίνει μέν τι, ἀλλ' οὐχ ὅτι ἔστιν ἢ οὐκ ἔστιν· ἀλλ' ἔσται κατάφασις ἢ ἀπόφασις ἐάν τι προστεθῇ.* Hic igitur angustissimus et maxime proprius est vocis *φάσεως* significatus.

Jam apparet hoc quidem *φάσεως* sensu nullo modo dici posse *ἔστι δ' ἡ μὲν φάσις τι κατά τινος*: contrarium enim verum est, *ἡ κατάφασις* et *ἡ ἀπόφασις* est *τὶ κατά τινος*, *ἡ φάσις* non est. — Sequitur ut etiam hunc si damus *τῇ φάσει* sensum necessario legendum sit (a) *ἔστι δ' ἡ μὲν κατάφασίς τι κατά τινος, ὥσπερ καὶ ἡ ἀπόφασις.* Hujus igitur optio datur scripturae et alterius (b), quae haec erat: *ἔστι δ' ἡ μὲν φάσις* (h. e. *ἀπόφανσις*) *τι κατά τινος, οἷον ἡ κατάφασις καὶ ἡ ἀπόφασις.* Tertia scriptura haec erat: (c) *ἔστι δ' ἡ μὲν φάσις* (h. e. *κατάφασις*) *τι κατά τινος, ὥσπερ καὶ ἡ ἀπόφασις.* Ex his secunda et tertia minus probabiles sunt propter vocis *φάσεως* ambiguum et fallacem usum, praecipue si, quod par est, etiam eorum rationem habemus quae sequuntur: *ὁ δὲ νοῦς οὐ πᾶς* (int. *ἀληθὴς ἢ ψευδής*), *ἀλλ' ὁ τοῦ τί ἐστι κατὰ τὸ τί ἦν εἶναι ἀληθής, καὶ οὐ τὶ κατά τινος*: quae si conjungis cum loco illo valde memorabili quem ex Met. *Θ* 10 petitum adscripsimus ad 3, apparet summam universi nostri loci sitam esse in *φάσεως* et *καταφάσεως* discrimine. Quod si verum est, qui poterat Ar. *τὴν κατάφασιν* significare *τῆς φάσεως* nomine, hoc est nomine ejus rei quae ab illâ erat distinguenda? — Quoquo nos vertimus, semper redigimur ad eam scripturam quam per literam *a* significavimus. —

Etiam aliam et prorsus diversam institui interpretandi rationem si quid proficerem. An tale quid voluit Ar.: *ἔστι δ' ἡ μέν τις φάσις, τὶ κατά τινος, . . . ἡ δέ τις τοῦ τί ἦν εἶναι, οὐ τὶ κατά τινος*? an dividere voluit *τὴν φάσιν* in eam quae est *κατά τινος* et alteram quae non est? — Qua receptâ interpretatione non opus est ut quidquam in vulgatâ scripturâ mutetur, praeter *ὥσπερ*, cujus loco utique *οἷον* scribendum erit. — Sed hac re non moveor ut quidquam huic rationi tribuam: durissima enim est et obscurissima, cum per se tum propter enunciationem mancam et imbecillam. Praeterea *δῆλον ὅτι ἀδύνατον στέρησιν εἶναι διαφοράν*, de Part. An. *Α* 3. 643[a] 6.

CAPUT SEPTIMUM.

Hoc caput ita interpretabimur ut dicamus primum de locis insiticiis, qui non nulli sunt, deinde ut universum sententiarum nexum, qualem esse voluit Ar., explanemus.

A. De locis insiticiis.

I. § 1. 431[a] 1. *τὸ*—3. *γιγνόμενα.* et II. [a] 4. *φαίνεται*—7. *τετελεσμένον.* Hae laciniae neque inter se neque cum iis quae praecedunt vel sequuntur quidquam habent commune. Prior locus simillimus est ei qui legitur 430[a] 19—21: sed non ad eundem finem videtur scriptus esse nec eum crediderim particulam alterius recensionis repraesentare. Ad metaphysica, non ad psychologiam pertinet. Alter locus (II) eo est insignis quod verbis *τὸ μὲν αἰσθητόν* nihil est quod respondeat: quae res vel per se spectata veram ejus loci naturam satis prodit. Quod ad sententiam attinet, maxime hic locus pertinet ad *B* 5: legantur imprimis 417[a] 6—9. 14—18. [b] 2—16. Quod hic injicitur, multi stuporis res est, neque ulla videtur ejus rei ansa fuisse nisi quod et ante et post sentiendi mentio fit, 430[b] 29 et 431[a] 8. Quamquam Aristotelis esse non nego. Nec tantum hae laciniae suo loco non sunt positae, verum etiam ejectis iis pulcherrimus restituitur nexus eorum quae antecedunt cum iis quae sequuntur: omnia enim ita quadrant ut ne litera quidem vel desideretur vel abundet. Sed antequam de sententiarum nexu dicamus, tractanda sunt reliqua quae huic capiti insunt quum abesse debeant. Universum enim hoc caput majore cum pietate quam rei quae tractatur intelligentiâ ab editore quisquis fuit compositum est et conglutinatum. Sunt autem praeter eos de quibus dictum est loci qui ab universâ sententiâ tanquam insiticii respuuntur hi:

III. § 3. 413[a] 17—20. *πλείω.* Hic locus eo nomine est memorabilis quod manifesto aut mutilus est aut, quod magis credo, nunquam ab Aristotele absolutus: *ὥσπερ δὲ ὁ ἀὴρ τὴν κόρην τοιανδὶ ἐποίησεν, αὕτη δ' ἕτερον, καὶ ἡ ἀκοὴ ὡσαύτως, τὸ δὲ ἔσχατον ἕν, καὶ μία μεσότης, τὸ δ' εἶναι αὐτῇ πλείω* . . deest apodosis, quae incipienda erat sic: *οὕτω καὶ* . . . Non meum est supplere quae Ar. imperfecta reliquit, praesertim quum id ipsum non videatur fortuito factum esse sed ideo quod ipse sentiebat, quae inchoasset, non multum collatura esse ad eam rem illustrandam de quâ sollicitus erat. Ea vero quae fuerit, id haud scio an vel ex iis quae extant divinari possit: fuit enim nisi fallor quî fieri possit ut nos album a dulci discernamus, praesertim quum haud raro accidat ut, quae res alba sit, eadem sit dulcis. Videtur autem hoc voluisse. Aer et oculum afficit et aurem, quamquam diverso modo, et necesse est sit aliqua medietas sensitiva in quam et color desinat et sonus:

16*

ea vero quum numero una sit et individua et partium expers, necesse est notione diversa sit: aliter enim fieri non potest ut et color et sonus simul ei appareant et discernantur ab eâ. Quodsi necessario statuendum est esse aliquid in quo quum unum sint discernantur universi sensus, multo facilius intelligemus simul percipi et discerni binas qualitates ad quas percipiendas singuli sensus nati sunt. — Eadem quaestio tractatur in eo loco qui hunc excipit,

IV. § 4. 431[a] 20. *τίνι*—[b] 1. *λευκόν*, sed multo plenius et luculentius: quamquam ne sic quidem ea quaestio ita videtur absoluta esse ut omnis scrupulus eximatur. Ponit igitur quaestionem quam supra jam (*Γ* 2. 426[b] 12—427[a] 16.) agitatam esse dicit, *τίνι ἐπικρίνει γλυκὺ καὶ θερμόν*, (ubi omissos articulos miror:) variabit postea exemplum, posito pro *θερμῷ* eo quod est *λευκόν*: non male: exempli enim sic significatur natura. — *Ἔστι γὰρ ἕν τι*: haec est *μεσότης* illa *αἰσθητική*: *οὕτω δὲ* (sicut in animâ) *καὶ ἡ στιγμὴ καὶ ὅλως ὁ ὅρος* (unum est numero, ratione diversum: *Γ* 3 fin. Phys. *Δ* 13. 222[a] 10—13). *καὶ ταῦτα* (quae initio proposita sunt, dulce et calidum) *ἓν τῷ ἀνάλογον* (nam suae quidque *ἐναντιώσεως* est extremum habituale, cui extremum privativum, dico autem amarum et frigidum, contrarium est:) *καὶ τῷ ἀριθμῷ ὃν ἔχει πρὸς ἑκάτερον ἐναντίον.* (Si enim calidum a frigido certo intervallo distat, quod intervallum numero definiri potest, eodem intervallo distabit dulce ab amaro, album a nigro cet., et numerus idem erit: cf Met. iota 2. de Sensu et Sensili 7. 448[a] 8sqq.) *τί γὰρ διαφέρει τὸ ἀπορεῖν πῶς τὰ μὴ ὁμογενῆ κρίνει ἢ τἀναντία οἷον λευκὸν καὶ μέλαν;* (Quaestio proposita erat de iis quae, quum non contineantur eodem genere, analogiâ idem sunt, ut calidum et dulce. Jam revocat eam quaestionem ad contraria et quae genere idem sunt, ut calidum et frigidum vel album et nigrum: et demonstrat, si album et nigrum uni eidemque simul manifesta sint, esse manifesta etiam album et dulce.) *ἔστω δὴ ὡς τὸ Α τὸ λευκὸν πρὸς τὸ Β τὸ μέλαν τὸ Γ* (dulce calidum cet.) *πρὸς τὸ Δ* (amarum frigidum cet.) *ὡς ἐκεῖνα πρὸς ἄλληλα* (ut album ad nigrum). *ὥστε καὶ ἐναλλάξ.* ($A : \Gamma = B : \Delta$, album ad dulce calidum cet. ut nigrum ad amarum frigidum cet.) *εἰ δὴ τὰ ΓΔ ἑνὶ εἴη ὑπάρχοντα*, (ponamus esse aliquid in animâ quod duo contraria simul sit vel de quo duo contraria simul praedicentur,) *οὕτως ἕξει* (medietas illa sensitiva, *τὸ ἕν*, eodem modo se habebit) *ὥσπερ κἂν εἰ τὸ ΑΒ*, (mente addendum *τούτῳ τῷ ἑνὶ ὑπῆρχεν*, quo se haberet si aliud quodpiam par contrariorum de eo praedicaretur,) *τὸ αὐτὸ μὲν καὶ ἕν*, (ut numero idem et unum sit,) *τῷ δ' εἶναι οὐ τὸ αὐτό* (ratione vero diversum sit). *κἀκεῖνα ὁμοίως.* (Postquam demonstratum est uno pari contrariorum percepto etiam aliud quodpiam par contrariorum perceptum iri, intel-

ligitur etiam bina paria analogorum simul esse percepta, si ex proportione $A : \Gamma = B : \Delta$ redimus ad proportionem $A : B = \Gamma : \Delta$ — quod erat demonstrandum: *τί γὰρ διαφέρει τὸ ἀπορεῖν πῶς τὰ μὴ ὁμογενῆ κρίνει ἢ τἀναντία;* Cf quod dicitur in re simili 448[a] 18. *ὥστ᾽ εἰ μὴ ταῦτα, οὐδ᾽ ἐκεῖνα.*) *ὁ δ᾽ αὐτὸς λόγος καὶ εἰ τὸ μὲν A τὸ γλυκὺ εἴη, τὸ δὲ B τὸ λευκόν.* (Hactenus supposuimus animae medietatem sensitivam esse simul contraria, album et nigrum vel dulce et amarum, indeque derivavimus perceptionem eorum quae analogiâ idem sunt, albi et dulcis vel nigri et amari. Jam supponamus animae medietatem sensitivam simul esse ea quae analogiâ idem sunt, dulce et album vel amarum et nigrum: eâdem proportionis transpositione efficietur ut etiam contraria percipiantur.) — Vides in hac demonstratione supponi esse aliquid in animâ, (*τὸ ἓν* illud,) quod re unum sit et individuum, ratione diversum et diversarum qualitatum eodem tempore capax, sicut punctum et in universum terminus *τοῦ μὲν ἀρχή* est, *τοῦ δὲ τελευτή*: qua re concessâ cetera facile consequuntur. Sed illud ipsum, dicat aliquis, *κενολογεῖν ἐστὶ καὶ μεταφορὰς λέγειν μαθηματικάς.* — De iis quae in hac particulâ scribendâ mutavimus jam est dicendum. Legebatur [a] 21. *ἔστι γὰρ ἕν τι, οὕτω δὲ καὶ ὡς ὅρος*: scripsi *ἔστι γὰρ ἕν τι· οὕτω δὲ καὶ ἡ στιγμὴ καὶ ὅλως ὁ ὅρος,* e libris scriptis petita omnia, nisi quod ex *ὡς* feci *ὅλως*, id quod in loco manifesto corrupto flagitante sententiâ licuit. Deinde [a] 23 post *ἑκάτερον*, etsi non addidi quum libri deficerent, at indicavi saltem addendum *ἐναντίον*, quod et omitti facile poterat post *ἑκάτερον* nec, si omittitur, dici poterit quid sit *ἑκάτερον.* Ibidem verba *ὡς ἐκεῖνα πρὸς ἄλληλα*, male huc illata e versu sexto et vicesimo, cancellis sepsi: quae enim sint *ἐκεῖνα* illa ne fingi quidem potest. Nihil enim adhuc proposuit Ar. nisi *γλυκύ* et *θερμόν*: quae sunt *ταῦτα*, [a] 22., non *ἐκεῖνα.* Porro 24. scripsi *τὰ μὴ ὁμογενῆ*, additâ negatione: cf de Gen. et Corr. A 7. 323[b] 29, quem locum exscripsimus quum agebamus de 429[b] 29 — 430[a] 2. Met. iota 4, imprimis 1055[a] 27, ubi contraria definiuntur: *τὰ ἐν ταὐτῷ γένει πλεῖστον διαφέροντα ἐναντία.* Δ 10. 1018[a] 27. Negationem esse addendam etiam Guil. Christium video intellexisse, vid. ejus Theses quae sunt in egregiâ dissertatione quae inscribitur Studia in Aristotelis libros metaphysicos collata. Berol. 1853. Porro scribi jussimus 28. *οὕτως ἕξει ὥσπερ καὶ εἰ τὰ AB* (vel potius *ὥσπερ κἂν εἰ τὰ AB*: *κἂν* trajectum est in 431[b] 1.): omittebatur enim *εἰ.* Quod si omittitur, subjectum verbi *ἕξει* erit *τὰ ΓΔ*, id quod falsum est: dicet enim Ar.: ʻsi $\Gamma\Delta$ de eodem praedicantur, $\Gamma\Delta$ ita se habebit ut ABʼ: at jam indicata est proportio illa verbis *ὥστε καὶ ἐναλλάξ.* Praeterea sive de eodem praedicantur $\Gamma\Delta$ sive non de eodem, proportio illa semper vera est, ac ridiculum est eam e con-

dicione suspendere. — Denique 29. indicavi scribendum *κἀκεῖνα*: legebatur enim *κἀκεῖνο*. Putabant fortasse qui singularem scripsere, *ἐκεῖνο* esse *τὸ ἕν*: male.

Emendationes propositae spero fore ut certae videantur esse, si quis universam hujus loci sententiam perspexerit: quam ad rem non solum is locus multum confert ad quem ipse Ar. lectores amandavit, sed etiam caput septimum libelli qui est de Sensu et Sensili. Inter alia quae huc spectant etiam hoc ibi tradit Ar., 447ᵇ 24—448ᵃ 1, distinguenda esse quae contraria sint in eodem genere, (velut album et nigrum, vel dulce et amarum,) ab iis quae in diversis generibus similitudinem quandam habeant et *ἀναλογίαν*, (album et dulce, vel nigrum et amarum,) ut modus idem sit, *ὁ τρόπος*: et haec quidem vocat *σύστοιχα*, 447ᵇ 30, vel *τὰ συστοίχως λεγόμενα*, 448ᵃ 14. De eo capite emendando dicta sunt quaedam ad 427ᵃ 2.

V. § 7—8. 431ᵇ 12. *τὰ δὲ*—19. *ὕστερον*. Hic locus constat ex duabus particulis, quarum prior, — 16. *ἐκεῖνα*, est de intellectione rerum geometricarum, de quâ jam dictum est 429ᵇ 18. *πάλιν*—21. *κρίνει*. Demonstravit ibi Ar. eandem rem non eodem modo per sensum percipi quo per intellectum, quidque differret intellectio a sensatione, primum in notione rei sensibilis formandâ, *τὸ σαρκὶ εἶναι καὶ σάρκα ἢ ἄλλῳ ἢ ἄλλως ἔχοντι κρίνει*, 429ᵇ 12, deinde in definitione geometricâ abstrahendâ, 429ᵇ 18. *πάλιν δ' ἐπὶ τῶν ἐν ἀφαιρέσει ὄντων . . τὸ εὐθὺ ὡς τὸ σιμόν· μετὰ συνεχοῦς γάρ· τὸ δὲ τί ἦν εἶναι, εἰ ἔστιν ἕτερον τὸ εὐθεῖ εἶναι καὶ τὸ εὐθύ, ἄλλῳ· ἔστω γὰρ δυάς. ἑτέρῳ ἄρα ἢ ἑτέρως ἔχοντι κρίνει*. — Fateor utriusque loci naturam et rationem esse diversam: ne exemplum quidem *τοῦ σιμοῦ* eandem in utroque vim habet. Illic enim (429.) quaeritur quomodo definitio geometrica a materiâ geometricâ abstrahatur, hic (431.) quomodo abstrahatur forma geometrica a materiâ naturali. Hoc vero affirmo, rei geometricae nullum locum esse in explicando intellectu practico, qua in re universum hoc caput versatur. — Ceterum verba tradita ita sunt corrupta ut certo emendari non possint. Verba ᵇ 15. *οὕτω* cet., ante quae punctum maximum ponebatur, cum antecedentibus verbis haud dubie sunt conjungenda, ut eorum efficiant apodosin: nunquam enim sic *ἀσυνδέτως* scribit Aristoteles. Verborum quae antecedunt ea ratio est ut pars pertineat ad explicandam rerum geometricarum perceptionem, pars non pertineat. Non pertinet, et ablegatur, rerum naturalium perceptio quatenus naturales sunt, his verbis: *ᾗ μὲν σιμόν, οὐ κεχωρισμένως*: pertinent verba *ᾗ δὲ κοῖλον, ἄνευ τῆς σαρκὸς ἐν ᾗ τὸ κοῖλον* (cf Bon. Comment. in Metaph. p. 283). Vides hoc esse exemplum ejus rei quae deinde universaliter enunciatur, *οὕτω τὰ μαθηματικὰ οὐ κεχωρισμένα ὡς κεχωρισμένα νοεῖ ὅταν νοῇ*

(corpora naturalia) *ἐκεῖνα*. Ergo eo maxime hoc enunciatum est corruptum quod in exemplo afferendo excidit *ὥσπερ*, cui responderet vox *οὕτω*. Sed dubito quo loco illud *ὥσπερ* positum fuerit. An sic scripsit: *τὰ δὲ ἐν ἀφαιρέσει λεγόμενα νοεῖ ὥσπερ ἂν εἰ τὸ σιμόν· ᾗ μὲν σιμόν, οὐ κεχωρισμένως· ᾗ δὲ κοῖλον, εἴ τις ἐνόει ἐνεργείᾳ, ὥσπερ ἄνευ τῆς σαρκὸς ἂν ἐνόει ἐν ᾗ τὸ κοῖλον, οὕτω τὰ μαθηματικὰ οὐ κεχωρισμένα ὡς κεχωρισμένα νοεῖ ὅταν νοῇ ἐκεῖνα*, ut sit paulo elegantius dictum pro eo quod est *ὥσπερ δέ, ᾗ κοῖλον, . . ἄνευ τῆς σαρκὸς ἂν ἐνόει . . , οὕτω . .*? Cogitavi etiam de aliâ ratione. Quid si *κεχωρισμένως* (16.) conflatum esset e *κεχωρισμένον ὥσπερ*? Nam suspectum mihi est *κεχωρισμένως νοεῖ*, cui nec legi unquam quod simile esset nec intelligo quî id possit dici. — Sed quoquo loco *ὥσπερ* positum fuit, sententia hujus loci haec erit: 'quemadmodum vero aliquis varum quatenus cavum est, si actu cogitaret, (id quod fieri non potest,) sine crure cogitaret in quo est cavum, ita res mathematicas, quamquam non inveniuntur separatae, tanquam separatas contemplatur quum contemplatur res naturales quibus res mathematicae insunt.' — Superest quaestio cur scripserit Ar. *εἴ τις ἐνόει . . ἂν ἐνόει*, nec vero *εἴ τις νοοίη . . ἂν νοοίη*. Nam ut nunc haec scripta sunt, jure addideris *νῦν δ' οὐ νοεῖ ἐνεργείᾳ· οὐδ' ἄρ' ἄνευ τῆς ὕλης νοεῖ*: id quod videtur plane absurdum esse, propterea quod id ipsum docet Ar., nos, quum mathematicas res consideremus, considerare res naturales relictâ materiâ. At *εἴ τις ἐνόει ἐνεργείᾳ* (int. *τὸ σιμὸν ᾗ κοῖλον*) videtur continere condicionem aliquam impossibilem. Id quod nec affirmo nec nego: prorsus enim non intelligo quid sit *ἐνεργείᾳ νοεῖν*, sicuti ignoro quid sit *δυνάμει νοεῖν*. Nam hoc non potest idem esse ac *νοεῖν τι ἐνεργείᾳ ὄν* vel *δυνάμει ὄν*. Intelligerem si scriptum esset *εἴ τι νοοίη καθ' αὑτό*, ut esset *τὸ κοῖλον καθ' αὑτό* nec quatenus ei accidit ut *σιμόν* sit. Sed nec scriptum est *καθ' αὑτό* et, si esset, abundaret: plane enim idem dicit *τὸ σιμὸν ᾗ κοῖλον*. — De his verbis vel sanandis vel intelligendis dudum desperavi.

Altera hujus loci particula haec est: b 16. *ὅλως δὲ ὁ νοῦς ἐστὶν ὁ κατ' ἐνέργειαν τὰ πράγματα. ἆρα δ' ἐνδέχεται τῶν κεχωρισμένων τι νοεῖν ὄντα αὐτὸν μὴ κεχωρισμένον μεγέθους ἢ οὔ, σκεπτέον ὕστερον.* 'Ubi haec quaestio tractata est?' ait Trendelenburgius. Ad quod nec ille habuit quod responderet nec ego habeo. Videntur autem haec verba non ad eam horum librorum pertinere editionem quam nos habemus. — Delevi 17. *νοῶν*, quod deteriores libri aliquot addunt: legebatur enim: *ὅλως δὲ ὁ νοῦς ἐστὶν ὁ κατ' ἐνέργειαν τὰ πράγματα νοῶν*. Sine dubitatione *ὁ κατ' ἐνέργειαν νοῦς* est *ὁ νοῶν νοῦς*: sed illud satis erat dixisse. — Ceterum universa haec sententia habet quod offendat, quia pla-

cita aristotelia longe videtur excedere: cf 430ª 3. ἐπὶ . . τῶν ἄνευ ὕλης τὸ αὐτό ἐστι τὸ νοοῦν καὶ τὸ νοούμενον.

B. Explanatur capitis sexti et septimi tenor.

a, De intellectu theoretico.

aa, Ὁ νοῦς, qui est individuarum notionum, semper verus est: ἡ διάνοια, quae cum subjecto conjungit praedicatum, aut vera aut falsa, 430ª 26—ᵇ 6.

bb, Quod re dividuum est, id, ubi non dividitur actu, potest cogitari tanquam individuum, et in tempore individuo, —ᵇ 10. Ergo non licet quaerere, quod sophistae quaerunt, quid cogitaverit in dimidiâ parte ejus temporis in quo totum cogitavit, —ᵇ 11, nisi si quis dimidiam rem post dimidiam cogitavit actu divisam, —ᵇ 14.

cc, Quod specie individuum est, v. c. album, id cogitatur in tempore individuo et animae sive parte sive facultate individuâ, nisi quod per accidens dividua est et illa et praeterea tempus in quo cogitatur, —ᵇ 17. χρόνῳ.

dd, Quod per privationem individuum est, id cogitatur per habitum ipsi contrarium, ᵇ 20. ἡ —ᵇ 23. γνωρίζει.

ee, Neque tamen ipse intellectus est habitus ille, sed potentiâ intellectus utrumque est: actu est id solum quod ab eo intelligitur, —ᵇ 24.

ff, Atque hoc ipsum, quod intellectus nulli contrariorum (vel entium) est contrarius et ab omni contrarietate liber, in causâ est ut necessaria illa (Γ 5.) formae et materiae oppositio intra ipsum intellectum cadat, ut intellectus forma sit, intellectus materia: unde consequuntur magnifica illa, ut sese ipse cognoscat et cogitet et ut actus purus sit et se ipso nitatur, —ᵇ 25.

gg, Sed summa illa intellectûs veritas non apparet nisi in cogitatione notionum simplicium, quum in affirmando et negando anima errori sit obnoxia: quemadmodum ne sensus quidem fallitur quum album percipit, fallitur demum dum ait illud Album esse hominem, —ᵇ 31.

b, De intellectu practico.

aa, Haec simplex qualitatis per sensum perceptio similis est actioni intellectûs veraci: sin res sensu percepta simul est jucunda aut ingrata, similis est anima cogitationi aut affirmanti aut neganti, et errori est obnoxia: et quod in animâ contemplativâ affirmatio est, id in animâ activâ est desiderium, quod illic negatio, hic est fuga, 431ª 8—10.

bb, Gaudium et dolor, (quae sunt principium intellectûs practici,) et, quae inde consequuntur, appetitus et fuga, est relatio quaedam actualis medietatis sensitivae ad bonum quatenus tale est, —ª 14.

cc, Haec ad bonum relatio non consistit intra sensum et res sensu perceptas, sed extenditur ad intellectum. Quum enim aliqua repraesentatio (φάντασμα) ad bonum refertur, ut vel bona vel mala appareat, anima aut fugit aut appetit, —[a] 16. διώκει.

dd, Species et in universum notiones simplices ab animâ considerantur ope repraesentationum, et si qua repraesentatio bona vel mala videtur, movetur ad refugiendum vel appetendum, sive imago illa est sive signum rei bonae vel malae, 431[b] 2. τὰ — 6. πολέμιος.

ee, Quandoque anima non consistit intra praesentia, sed refert boni notionem ad futura, et si videtur fore ut jucundum quid vel molestum eveniat, jam nunc fugit vel persequitur et in universum agit, —[b] 10.

ff, Intellectus practicus non est penitus diversus ab intellectu theoretico: nam verum et bonum in eadem συστοιχίᾳ continentur, item falsum et malum: differunt ita ut bonum semper referatur ad aliquem vel ad aliquid cui bonum est, verum non item, —[b] 12. τινί.

Hic est nexus sententiarum quae in his capitibus inveniuntur: quae omnes ad unum propositum diriguntur et ita sunt dispositae ut posterior quaeque priorem excipiat atque ex eâ deducatur. Quantopere loci quos tanquam insiticios notavimus non solum ab universo hujus tractatûs tenore sed ab ipsâ re quae tractatur abhorreant, facile quisque intelligit. Ea res tam manifesta est ut vere dici possit nullum ac ne pessimum quidem scriptorem res tam diversas potuisse miscere: ut haec incredibilis rerum disparium confusio, rerum cognatarum distractio ei tribuenda sit qui haec post Aristotelem edidit.

Pergo ad exponendas emendationes quas in iis quae ad intellectum practicum pertinent vel adhibuimus vel suasimus.

Primum offendimus in his, § 2. [a] 10. καὶ ἔστι τὸ ἥδεσθαι καὶ λυπεῖσθαι τὸ ἐνεργεῖν τῇ αἰσθητικῇ μεσότητι πρὸς τὸ ἀγαθὸν ἢ κακόν, ᾗ τοιαῦτα. Quid est ἐνεργεῖν πρός τι? Vix dictu opus est id non posse significare 'tendere ad aliquid,' ut id ad quod tendatur sit finis. Primum enim absurdum est dicere, qui dolore afficiatur, eum tendere ad malum. Sed etiamsi omissis verbis ἢ κακόν, (omittit enim *S*,) legendum censeas πρὸς τὸ ἀγαθόν ᾗ τοιοῦτο, (ᾗ τοιοῦτο enim *L* praebet,) nihilominus absurda est illa significatio. Qui enim tendit ad aliquid, is eo nondum fruitur: quae res non quadrat cum gaudio nec cum dolore. Quod vero summum est, τὸ ἐνεργεῖν nunquam est tendere. Statuendum igitur videtur πρός τι significare notissimam illam relationis categoriam. Id vel ideo est probabile quod doloris et gaudii, quae contraria sunt, eadem redditur definitio: cui rei favet categoria relationis: (Categ. 7. 6[b] 15: ὑπάρχει δὲ καὶ ἐναντιότης ἐν τοῖς πρός τι:) possunt enim res

diversae ad eandem rem contrario modo relatae esse. Quodsi ponimus *ἐνεργεῖν* esse *ἐνεργείᾳ εἶναι*, quae est primaria et potissima ejus verbi significatio, habebimus hanc definitionem: 'gaudere et dolere sunt relationes quaedam sensûs communis ad bonum quatenus bonum est'. Posuit igitur Ar. genus gaudii et doloris, differentiam utriusque specificam omisit. Haec si recte disputata sunt, sequitur ut legendum sit *πρὸς τὸ ἀγαθὸν ᾗ τοιοῦτο*. Nam relatio illa sensûs communis ad bonum aut habitus erit aut privatio: nihil igitur opus est malo. Huic rationi favere videtur Rhet. *Α* 10. 1369^b 20. *ἐπεὶ δ' ὅσα δι' αὑτούς, ἑκόντες πράττουσιν, οὐχ ἑκόντες δὲ ὅσα μὴ δι' αὑτούς, πάντ' ἂν εἴη ὅσα ἑκόντες πράττουσιν ἢ ἀγαθὰ ἢ φαινόμενα ἀγαθὰ ἢ ἡδέα ἢ φαινόμενα ἡδέα· τίθημι γὰρ καὶ τὴν τῶν κακῶν ἢ φαινομένων κακῶν ἢ ἀπαλλαγὴν ἢ ἀντὶ μείζονος ἐλάττονος μετάληψιν ἐν τοῖς ἀγαθοῖς, (αἱρετὰ γάρ πως,) καὶ τὴν τῶν λυπηρῶν ἢ φαινομένων ἢ ἀπαλλαγὴν ἢ μετάληψιν ἀντὶ μειζόνων ἐλαττόνων ἐν τοῖς ἡδέσιν ὡσαύτως.*

Haec fortasse vera sunt: certa non sunt. Fortasse enim *τὸ ἐνεργεῖν πρὸς τὸ ἀγαθὸν ἢ κακόν* significat, bonum et malum esse objectum, quemadmodum res sensilis est objectum sensûs qui actu est. Eth. Nic. *Κ* 4. 1174^b 14. *αἰσθήσεως δὲ πάσης πρὸς τὸ αἰσθητὸν ἐνεργούσης, τελείως δὲ τῆς εὖ διακειμένης πρὸς τὸ κάλλιστον τῶν ὑπὸ τὴν αἴσθησιν· τοιοῦτον γὰρ μάλιστ' εἶναι δοκεῖ ἡ τελεία ἐνέργεια· (αὐτὴν δὲ λέγειν ἐνεργεῖν, ἢ ἐν ᾧ ἐστί, μηθὲν διαφερέτω·) καθ' ἕκαστον δὲ βελτίστη ἐστὶν ἡ ἐνέργεια τοῦ ἄριστα διακειμένου πρὸς τὸ κράτιστον τῶν ὑφ' αὐτήν·* — (incipit apodosis:) *αὕτη δ' ἂν τελειοτάτη εἴη καὶ ἡδίστη. κατὰ πᾶσαν γὰρ αἴσθησίν ἐστιν ἡδονή, ὁμοίως δὲ καὶ διάνοιαν καὶ θεωρίαν, ἡδίστη δ' ἡ τελειοτάτη, τελειοτάτη δ' ἡ τοῦ εὖ ἔχοντος πρὸς τὸ σπουδαιότατον τῶν ὑφ' αὐτήν. τελειοῖ δὲ τὴν ἐνέργειαν ἡ ἡδονή . . καθ' ἑκάστην δ' αἴσθησιν ὅτι γίνεται ἡδονή, δῆλον· φαμὲν γὰρ ὁράματα καὶ ἀκούσματα εἶναι ἡδέα. δῆλον δὲ καὶ ὅτι μάλιστα, ἐπειδὰν ἥ τε αἴσθησις ᾖ κρατίστη καὶ πρὸς τοιοῦτον ἐνεργῇ· τοιούτων δ' ὄντων τοῦ τε αἰσθητοῦ καὶ τοῦ αἰσθανομένου, ἀεὶ ἔσται ἡδονὴ ὑπάρχοντός γε τοῦ ποιήσοντος καὶ τοῦ πεισομένου.* — Quae quum lego, iterum dubito an recte scriptum sit *ἢ τὸ κακόν*. Nam haec singularis est hujus loci condicio: si *ἐνεργεῖν πρός τι* significat *ἐνεργείᾳ εἶναι πρός τι*, actu relatum esse ad aliquid, omittendum est *ἢ κακόν*, si significat agere in aliquid, scribendum est. Jam quum in codice *S* casu videretur omitti, (scribit enim idem liber *ᾗ τοιαῦτα,*) facere non potui quin vulgatam scripturam servarem, quamvis inclinante in contrariam partem animo.

Similem dubitationem praebent verba § 2. ^{a} 12. *καὶ ἡ φυγὴ*

*δὲ καὶ ἡ ὄρεξις τοῦτο ἡ κατ᾽ ἐνέργειαν,**) *καὶ οὐχ ἕτερον τὸ ὀρεκτικὸν καὶ φευκτικὸν οὔτ᾽ ἀλλήλων οὔτε τοῦ αἰσθητικοῦ· ἀλλὰ τὸ εἶναι ἄλλο.* Aut enim haec ita intelligenda sunt ut *ἡ φυγή* sit *τὸ ἐνεργεῖν πρὸς τὸ κακόν, ἡ ὄρεξις τὸ ἐνεργεῖν πρὸς τὸ ἀγαθόν,* aut, si in iis quae praecedunt verba *ἢ κακόν* (11.) spuria sunt, et fuga et appetitus erunt *ἐνεργεῖν τι πρὸς τὸ ἀγαθόν.* Si posterior interpretatio vera est, intelligitur cur quidam libri *τὸ αὐτό* praebeant (12), pro eo quod est *τοῦτο*: idque recipiendum erit, ita tamen ut propter *καὶ — δέ,* (*καὶ ἡ φυγὴ δέ,*) ambo copulentur, sic: *καὶ ἡ φυγὴ δὲ καὶ ἡ ὄρεξις τὸ αὐτὸ τοῦτο ἡ κατ᾽ ἐνέργειαν.* Id ut verum esse arbitrer eo adducor quod Ar. addit *καὶ οὐχ ἕτερον τὸ ὀρεκτικὸν καὶ φευκτικὸν . . ἀλλήλων.* Primum enim, si haec verba per se spectas, ita dicta sunt ut verisimile, ne dicam necessarium, sit, in praegressis quoque notionem esse positam quae una sit, non duae (*τὸ ἐνεργεῖν πρὸς τὸ ἀγαθόν, τὸ ἐνεργεῖν πρὸς τὸ κακόν*). Deinde vero expressis verbis additur *τὸ ὀρ. καὶ τὸ φ. οὐχ ἕτερόν ἐστι τοῦ αἰσθητικοῦ***): *τὸ αἰσθητικόν* vero sine dubio unum est (atque etiam unum sensu eminenti, *τὸ ἕν*). In universum vero si habemus haec: A et B sunt C: sequitur ut C illud unum et idem sit. A *τὸ ὀρεκτικόν*, B *τὸ φευκτικόν*, C *τὸ αὐτὸ τοῦτο*, 12, hoc est *τὸ ἐνεργεῖν τῇ αἰσθητικῇ μεσότητι πρὸς τὸ ἀγαθόν, ᾗ τοιοῦτο.* — His omnibus rationibus firmissime mihi persuadetur Aristotelem scripsisse 12. *καὶ ἡ φυγὴ δὲ καὶ ἡ ὄρεξις τὸ αὐτὸ τοῦτο*: idque restituissem si pro certo scirem, quod credo, 11. *ἢ κακόν* esse delendum: sunt enim haec *τοῦ αὐτοῦ λόγου.*

Porro § 3. ª 15. legendum videtur *ὅταν δὲ ἀγαθὸν ἢ κακόν, φεύγει ἢ διώκει*, omissis verbis quae post *κακόν* legebantur *φήσῃ η ἀποφήσῃ.* Eȧ verba vel propter incredibilem librorum scriptorum discrepantiam non possunt non movere suspicionem (vid. Adnot. Crit.): eaque confirmatur si ipsam rem consideramus. Primum enim in verbis *ὅταν δὲ ἀγαθὸν ἢ κακὸν φήσῃ ἢ ἀποφήσῃ*, plane supervacaneum vel etiam absurdum videtur illud *ἢ ἀποφήσῃ*: fugit enim aut persequitur homo quum dicit: hoc bonum est, vel: hoc malum est, neque attinet ut neget hoc malum esse vel bonum: imo si nego hoc bonum esse vel malum, non est necesse movear. De-

---

*) *ἡ κατ᾽ ἐνέργειαν* additum est eodem modo quo 433ᵇ 18. *ἡ ἐνεργείᾳ*, quia *ὄρεξις* est etiam ea quae est *δυνάμει*: cf 433ª 30. *ὅτι μὲν οὖν ἡ τοιαύτη δύναμις κινεῖ τῆς ψυχῆς ἡ καλουμένη ὄρεξις, φανερόν.*

**) Mirum videri potest ex Aristotelis sententiâ haec omnia esse unum, *τὸ ἥδεσθαι, τὸ λυπεῖσθαι, ἡ φυγή, ἡ ὄρεξις ἡ κατ᾽ ἐνέργειαν, τὸ ὀρεκτικόν, τὸ φευκτικόν*: omnia enim haec sunt, (si ita est legendum,) *τὸ ἐνεργεῖν τῇ αἰσθητικῇ μεσότητι πρὸς τὸ ἀγαθὸν ᾗ τοιοῦτο.* Ratio ejus rei est quod omnia haec eodem genere continentur: differentiae specificae non ponuntur, quia ad rem non sunt necessariae. — Duo erunt genera si 11. *ἢ κακόν* Aristotelis est.

inde vero ad verba *ὅταν δὲ ἀγαθὸν ἢ κακόν*, nihil aliud mente addendum est nisi *ᾖ* (int. *τὸ φαντασθέν*), sicuti supra, [a] 9, ad verba *ὅταν δὲ ἡδὺ ἢ λυπηρόν* idem *ᾖ* (int. *τὸ αἰσθητόν*) addendum erat. Redit eadem res 431[b] 4. *ὅταν ἐπὶ τῶν φαντασμάτων ᾖ* (int. *τὸ διωκτὸν καὶ τὸ φευκτόν*). Priore loco (9.) Aristoteles confert *τὸ αἰσθάνεσθαι* (sensationem) cum *τῷ φάναι μόνον καὶ νοεῖν* (simplici notione), deinde determinationem appetitûs cum affirmatione et negatione intellectus theoretici. Poterat certe hoc loco (15.) Ar. eandem comparationem repetere, sic: *τῇ μὲν διανοητικῇ ψυχῇ τὸ φαντάζεσθαι ὅμοιον τῷ φάναι μόνον· ὅταν δὲ ἀγαθὸν ἢ κακόν, οἷον καταφᾶσα ἢ ἀποφᾶσα, διώκει ἢ φεύγει.* Sed hoc manifesto non fecit: ac profecto insipidum foret si in re simillimâ idem repeteret. Sequitur ut verba illa pro spuriis habenda sint.

Deinde haec clausula § 3. [a] 16. *διὸ οὐδέποτε νοεῖ ἄνευ φαντάσματος ἡ ψυχή* non videtur esse Aristotelis. Nam *διό* est rationem reddentis: nulla vero ratio reddita est: simpliciter de universo intellectu et theoretico et practico affirmaverat Ar. *τὰ φαντάσματα* (sive in omni cogitatione adsunt sive non in omni) *οἷον αἰσθήματα ὑπάρχει*: deinde cogitationem practicam a theoreticâ distinxerat, *ὅταν δὲ ἀγαθὸν ἢ κακόν, φεύγει ἢ διώκει*: quarum rerum neutra rationem continet cur (*διό*) nunquam sine repraesentatione notiones fingat anima.

Transeamus ad § 5—6. 431[b] 2. *τὰ μὲν οὖν εἴδη*—12. *καὶ τινί.* Sunt autem tres particulae, 2. *τὰ*— 6. *πολέμιος*, 6. *ὁτὲ*—10. *πράξει*, 10. *καὶ τὸ ἄνευ*—12. *τινί.* In prioribus duabus illustratur natura signi et significationis, in tertiâ particulâ ostenditur quid commune sit inter supremam notionem quae in intellectum theoreticum quaeque in intellectum practicum dominatur, dico autem inter verum et bonum. Apparet autem bonum quidque alicui esse bonum, item malum: quum verum et falsum id quod sunt simpliciter sint, nec vero mihi verum tibi falsum. Ceterum enim verum et bonum idem est: Met. *Λ* 7. 1072[a] 26. *κινεῖ δὲ ὧδε τὸ ὀρεκτόν, καὶ τὸ νοητὸν κινεῖ οὐ κινούμενον. τούτων τὰ πρῶτα τὰ αὐτά*: item falsum et malum, quae privationes sunt illorum. — Igitur omne bonum relativum est? nihilne bonum absolute? Nihil. Sed ne ambiguitate sermonis quaeso falli te sinas. Quidquid bonum est, alicui est bonum: sed non sequitur ut sit aliquis cui id quod ceteris bonum est non sit bonum. (Idem de malo dictum puta.) Potest enim aliquid esse quod omnibus bonum sit, et suâ naturâ bonum, sive illud numero unum est sive analogiâ *). Idque jam erit quod homines hodierni absolutum vocant bonum: quamquam vero vocabuli sensu

---

*) Consideranti mihi quosdam Ethicorum locos verum videtur quod secundo loco posui.

non est absolutum. — Verba Aristotelis sincera sunt, modo recte interpungantur. Legebatur enim *καὶ τὸ ἄνευ δὲ πράξεως, τὸ ἀληθὲς καὶ τὸ ψεῦδος ἐν τῷ αὐτῷ γένει ἐστί, τῷ ἀγαθῷ καὶ κακῷ*: quasi id quod simpliciter est contineatur tanquam in genere in eo quod non est nisi cum relatione. Sustuli virgulam quae ante *τῷ ἀγαθῷ* posita erat. Enunciati eadem forma redit Met. *Θ* 8. 1049^{b} 8. *καὶ γὰρ ἡ φύσις ἐν ταὐτῷ γένει τῇ δυνάμει*, h. e. *τῆς φύσεως καὶ τῆς δυνάμεως τὸ αὐτὸ γένος ἐστίν.*

Redeamus ad priores duas particulas, in quibus quaedam corrigenda sunt. Ac primum de *φρυκτῷ πολεμίῳ.* Quem optime illustrabunt haec: Thucyd. II, 94. *Ἐς δὲ τὰς Ἀθήνας φρυκτοί τε ἤροντο πολέμιοι καὶ ἔκπληξις ἐγένετο οὐδεμιᾶς τῶν κατὰ τὸν πόλεμον ἐλάσσων.* — Schol. *φρυκτοί εἰσι λαμπάδες τινὲς ἀπὸ ξύλων γιγνόμενοι, ἅστινας βαστάζοντες ἄνωθεν τῶν τειχῶν ἐσήμαινον τοῖς πλησιοχώροις ἢ τοῖς συμμάχοις, ὅτ᾽ ἄν τινας ἑώρων πολεμίους ἐπιόντας, ὡς δεῖ προφυλάξασθαι. οὐ μόνον δὲ ἐπὶ τῶν πολεμίων τοῦτο ἐποίουν, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ φίλων· ὅτ᾽ ἂν ἑώρων βοήθειαν αὐτοῖς ἐρχομένην, ἐσήμαινον πάλιν διὰ τῶν φρυκτῶν ὡς οὐ δεῖ θορυβεῖσθαι. καὶ ὅτ᾽ ἂν μὲν φίλους ἐδήλουν, ἐβάσταζον τοὺς φρυκτοὺς ἠρεμοῦντες·* (l. *-τας·*) *ὅτ᾽ ἂν δὲ πολεμίους, ἐκίνουν τοὺς φρυκτούς.* Item, ubi utrosque habes et *πολεμίους* et *φιλίους*, Thucyd. III, 22. *φρυκτοί τε ἤροντο* (a Lacedaemoniis) *ἐς τὰς Θήβας πολέμιοι. παρανῖσχον δὲ καὶ οἱ ἐκ τῆς πόλεως Πλαταιῆς ἀπὸ τοῦ τείχους φρυκτοὺς πολλούς, πρότερον παρεσκευασμένους εἰς αὐτὸ τοῦτο, ὅπως ἀσαφῆ τὰ σημεῖα τῆς φρυκτωρίας τοῖς πολεμίοις ᾖ καὶ μὴ βοηθοῖεν.* Ad *φρυκτοὺς πολλούς* Schol. *δηλονότι φιλίους. οἱ γὰρ φίλιοι ἀνετείνοντο καιόμενοι μέν, ἱστάμενοι δέ· οἱ δὲ πολέμιοι καιόμενοι μὲν καὶ αὐτοί, σειόμενοι δὲ ὑπὸ τῶν ἀνατεινόντων. κίνησις γὰρ ὁ πόλεμος.* — Dicit igitur Ar. hoc: non solae ipsae res bonae vel malae sunt, sed potest rebus quae per se spectatae nec bonae nec malae sunt ea tribui dignitas ut bonum quid vel malum significent. Sic fax ardens procul visa nec bona est nec mala. Sed pactione quadam et conventu hominum institutum est ut, si moveatur, hostes significet appropinquantes, si quieta maneat, auxilia. Non dico signo nihil esse cum re significatâ commune, ut v. c. fax mota eodem jure possit auxiliorum quo hostium appropinquantium signum esse: imo in signis eligendis homines ducti sunt obscuro quodam sed recto plerumque, saepe etiam delicato sensu convenientiae quae signum inter et rem significatam obtinet. Sed tamen hoc manifestum est, alio modo malum inesse faci quae in tecta nostra injicitur, alio modo faci quae procul visa de hostium adventu certiores nos facit. Altera enim per se mala est, altera, per se innocua, signum est cujusdam mali. — Exemplum quo utitur Ar. et per

se luculentum est et eo etiam aptius quod et inter graecos et inter barbaros homines usitatissimum erat simplex illud artis telegraphicae genus quo per ignes significatio fit: non apud Thucydidem solum, sed apud Xenophontem, Aeschylum, alios ejus rei invenies exempla. — Haec signi est natura. Nec vero necesse est ut sit aliquid extra animam humanam positum quo signum fiat, sicuti illic fax: quum enim aliquid nobiscum reputamus et ex futuri temporis ratione dijudicamus utrum hoc facere debeamus an non, praesentemque actionem dirigimus ad finem qui quum nondum sit efficiendus est, tum verbis utimur tacitis et notionibus quae non sunt nisi in ipsâ animâ, et dum non videmus ([b] 6. *ὁρῶν*), in calculo subducendo versamur quasi videamus ([b] 7. *ὥσπερ ὁρῶν*). Hic ille est *ὁ ἐν τῇ ψυχῇ λόγος*, Anal. Post. *Α* 10. 76[b] 25. Sed sive profertur sive non profertur sermo, id quidem commune habet cum significatione quae ignibus fit accensis, quod conventu aliquo et pacto, *κατὰ συνθήκην*, lingua est: de Interpr. 1. 16[a] 19. *ὄνομα μὲν οὖν ἐστὶ φωνὴ σημαντικὴ κατὰ συνθήκην . . 26. τὸ δὲ κατὰ συνθήκην, ὅτι φύσει τῶν ὀνομάτων οὐδέν ἐστιν, ἀλλ᾽ ὅταν γένηται σύμβολον· ἐπεὶ δηλοῦσί γέ τι καὶ οἱ ἀγράμματοι ψόφοι, οἷον θηρίων, ὧν οὐδέν ἐστιν ὄνομα.* de Sensu et Sens. 1. 437[a] 11. *κατὰ συμβεβηκὸς δὲ πρὸς φρόνησιν ἡ ἀκοὴ πλεῖστον συμβάλλεται μέρος. ὁ γὰρ λόγος αἴτιός ἐστι τῆς μαθήσεως ἀκουστὸς ὤν, οὐ καθ᾽ αὑτὸν ἀλλὰ κατὰ συμβεβηκός· ἐξ ὀνομάτων γὰρ σύγκειται, τῶν δ᾽ ὀνομάτων ἕκαστον σύμβολόν ἐστιν.*

Non abs re erit apposuisse locum ex eodem libello petitum, de Interpr. 1. 16[a] 3. *ἔστι μὲν οὖν τὰ ἐν τῇ φωνῇ τῶν ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων σύμβολα, καὶ τὰ γραφόμενα τῶν ἐν τῇ φωνῇ. καὶ ὥσπερ οὐδὲ γράμματα πᾶσι τὰ αὐτά, οὐδὲ φωναὶ αἱ αὐταί· ὧν μέντοι ταῦτα σημεῖα πρώτως, ταὐτὰ πᾶσι παθήματα τῆς ψυχῆς, καὶ ὧν ταῦτα ὁμοιώματα, πράγματα ἤδη ταὐτά. περὶ μὲν οὖν τούτων εἴρηται ἐν τοῖς περὶ ψυχῆς· ἄλλης γὰρ πραγματείας.* Is enim locus documento est ne Andronicum quidem Rhodium bene intellexisse eum locum qui est in libro de Animâ tertio, de quo loco agimus. Negat enim ille (vid. Trend. de An. Comm. p. 116—117.), quae laudetur in libro de Interpr. sententia, in libris de Animâ inveniri usquam, eoque inter alia argumento utitur quo librum qui est de Interpretatione ab Aristotele abjudicet. Quae illic sunt *τὰ πράγματα*, hic sunt *τὰ εἴδη*, quae illic *τὰ παθήματα τῆς ψυχῆς* quae rerum *ὁμοιώματα* sunt, hic sunt *τὰ φαντάσματα* et *τὰ νοήματα*, quae illic *τὰ σημεῖα, τὰ σύμβολα*, hic sunt primum ignes quibus significatio fit, deinde, quorum fax ardens rude exemplum fuit, *τὰ ἐν τῇ ψυχῇ φαντάσματα ἢ νοήματα* quae nisi per verba proferri non possunt: hoc enim solum addendum est ut omnia quadrent. Fateor haec adumbrata magis

esse quam tractata: ac linguae certe mentio valde desideratur. Attamen dubium non videtur quin hic potissime locus Aristotelis oculis obversatus sit quum scriberet *εἴρηται ἐν τοῖς περὶ ψυχῆς*.

Jam facile intelligitur cur [a] 5. *ὅτι πῦρ* cancellis sepserim: interpolatio enim est profecta ab homine qui omnino non intelligeret quid rei ageretur.*) Putabat ille id quod visui proprium est, *τὸ ἴδιον*, opponi ei quod omnibus sensibus commune est, *τὸ κοινόν* (*B* 6.): quamquam *τὸ κοινόν* et *ἡ κοινὴ* (*αἴσθησις*, sensus communis, de Mem. 1. 450[a] 10.) mirum quantum differunt. Inde sequitur ut profecta sint verba *ὅτι πῦρ* ex pessimâ lectione *τῇ κοινῇ*: quae quamquam in omnibus libris scriptis videtur inveniri, non dubitavi eam expellere, recipere vero quam solus margo editionis Basileensis praebet, *τῇ κινήσει*. (De his vocabulis confusis diximus ad 425[a] 16.) Hanc lectionem esse veram ipse Ar. dicit quum addat *ὁρῶν κινούμενον*. Neve mireris *ὁρῶν κινούμενον* esse additum post *τῇ κινήσει γνωρίζει*: opponuntur verba *ὁρῶν κινούμενον* iis quae sequuntur, *τοῖς ἐν τῇ ψυχῇ* (non in rebus extra animam positis) *φαντάσμασιν ἢ νοήμασιν ὥσπερ ὁρῶν*. Quid legerit Themistius incertum est: *ὁρῶν μὲν γὰρ τὸν φρυκτὸν καὶ συνεὶς ὅτι πολέμιος, φεύγει· καὶ μὴ ὁρῶν δὲ ἀλλ' ἑαυτῷ προβάλλων τὰ φαντάσματα καὶ προστιθεὶς τὴν δόξαν, ταὐτὸν ποιεῖ*. Philoponus haec habet: *τί ἐστι 'τῇ κοινῇ γνωρίζει'; τινὲς μὲν οὖν φασὶ τῇ κινήσει τοῦ πυρός*: ergo apud antiquiores interpretes et fortasse apud ipsum Alexandrum invenerat *τῇ κινήσει*: sed non videtur intellexisse Philoponus hanc esse variam lectionem, non interpretationem.

De verbis § 6. [b] 8. *καὶ ὅταν εἴπῃ ὡς ἐκεῖ τὸ ἡδὺ ἢ λυπηρόν, ἐνταῦθα φεύγει ἢ διώκει, καὶ ὅλως ἐν πράξει* — post longam dubitationem nondum habeo quod pro certo affirmem. Primum enim displicet quod Ar. hominis dignitatem videtur nimis deprimere. Nam si praesentis actionis nulla alia est causa nisi quod jucundi quid vel dolorem aliquem futurum animo fingit vel praevidet, videtur homo *ἀκόλαστός τις* esse vel *μαλακός*: ii enim nihil aliud agunt nisi ut dolorem fugiant, fruantur voluptate. Non ignoro etiam honestum et utile idem esse jucundum: *καὶ γὰρ τὸ καλὸν καὶ τὸ συμφέρον ἡδὺ φαίνεται*, Eth. N. *B* 2. 1105[a] 1. et homini honesto nihil esse jucundum nisi quod etiam honestum, *K* 5. 1176[a] 15: sed non ideo honeste agit quod honestum jucundum est, sed quod honestum. — Haud minus grave hoc est: sicut nunc verba sunt, 9. *ἐκεῖ* non potest referri nisi ad *τὰ μέλλοντα*, nec *ἐνταῦθα* nisi ad *τὰ παρόντα*, ex quibus eliciendum erit *ἐν τῷ μέλλοντι* et

*) Debebat saltem scribere miser interpolator *αἰσθανόμενος τὸ πῦρ ὅτι φρυκτός*.

ἐν τῷ παρόντι: ut sententia haec sit: 'et si dicit futurum esse jucundum quid vel triste, jam nunc fugit vel persequitur.' Haec ita dicta sunt quasi nihil sit jucundi nec ingrati nisi futuro tempore: jam vero plerumque res ita comparata est ut non solum futurum videatur aliquid jucundi vel ingrati, sed aliae praesentes adsint res graves vel jucundae quae vel suscipiendae sint vel spernendae ut majore voluptate, quae futura est, potiare, aut evites calamitatem futuram. Quod si verum est, non bene scriptum videtur *ὅταν εἴπῃ ὡς ἐκεῖ τὸ ἡδὺ ἢ λυπηρόν*, praecipue propter articulum: expectes *ὅταν εἴπῃ ὡς μεῖζον τὸ ἐν τῷ μέλλοντι ἡδὺ ἢ λυπηρόν*, vel potius (nam etiam *εἴπῃ* illud molestum est) *ὅταν μεῖζον φανῇ τὸ ἐν τῷ μέλλοντι ἡδὺ ἢ λυπηρόν, εὐθὺς φεύγει ἢ διώκει.*

Haec incommoda satis gravia mihi visa sunt ut quam ante aliquot annos conjecturam fecissem, eam non plane abjicerem. Est autem haec: *καὶ ὅταν εἴπῃ, ὡς ἐκεῖ τὸ ἡδὺ ἢ λυπηρόν, ἐνταῦθα τὸ ἀγαθὸν ἢ κακόν, φεύγει καὶ διώκει, καὶ ὅλως ἐν πράξει.* Si recte haec conjeci, *ἐκεῖ* referendum erit ad [a] 9, *ἐνταῦθα* ad [a] 15: qui loci ejectis iis quae ejicienda esse demonstravi a nostro loco non ita longo intervallo distant. *Τὸ ἡδὺ καὶ τὸ λυπηρόν* illic attributa erant sensibus, [a] 8, *τὸ ἀγαθὸν καὶ τὸ κακόν* animae cogitanti, [a] 14: nostro loco de consilio loquitur Ar. et ratiocinatione: cui rei bonum et malum magis videntur convenire quam jucundum et molestum. Voluptas praesens agit et sensus ferit: bonum universam vitam pervadit, ejusque in rebus futuris administrandis (*βουλεύεται τὰ μέλλοντα πρὸς τὰ παρόντα*) magis ratio habetur quam voluptatis.

Superest alia ratio eaque omnium firmissima. Si quis attente legat quae sequuntur, inveniet ea ita esse dicta quasi praecesserit *τὸ ἀγαθὸν ἢ κακόν*. Sequuntur vero haec: *καὶ τὸ ἄνευ δὲ πράξεως, τὸ ἀληθὲς καὶ τὸ ψεῦδος, ἐν τῷ αὐτῷ γένει ἐστὶ τῷ ἀγαθῷ καὶ κακῷ.* Haec verba, et praecipue illud *καὶ — δέ*, explicari non possunt si nihil praecessit nisi *τὸ ἡδὺ ἢ λυπηρόν.*

Sed ne haec quidem ratio, cujus vim ac potestatem nemo negabit, movere me potuit ut conjecturam illam, quum nec in libris scriptis nec apud exegetas ejus rei vestigium inveniretur, in textum reciperem: monitum tamen volui lectorem.

CAPUT OCTAVUM.

§ 1. 431[b] 21. Cur verisimile sit scribendum esse *ὅτι ἡ ψυχὴ τὰ ὄντα πώς ἐστι πάντα. πάντα γὰρ ἢ αἰσθητὰ τὰ ὄντα ἢ νοητά*, id Adnotatio Critica ostendit. Eodem fert quod Simplicius 20. legit *τὰ λεχθέντα πάντα συγκεφ.*: quod enim saepissime fit ut vocabulum aliquod a librario per incuriam omissum deinde alieno loco ad-

datur, id hoc loco videtur factum esse. Quum enim in eo exemplari quo Simplicius usus est *πάντα* addendum fuisset post 21. *πάνΝΤΑ*, additum fuit 20. post *λεχθέΝΤΑ*.

§ 2. 431ᵇ 24. *τέμνεται*—28. *αἰσθητά*. Legebatur *τέμνεται οὖν ἡ ἐπιστήμη καὶ ἡ αἴσθησις εἰς τὰ πράγματα*, nec quisquam adhuc suscepit explicare quid significet istud portentum. Peropportune Themistius verum servavit: interpretatur enim quasi legerit *ὡς τὰ πρ.* vel *ὥσπερ καὶ τὰ πρ.*, quum post *ζητεῖν* scribat: *τὰ ὄντα τοίνυν τὰ μὲν δυνάμει τὰ δὲ ἐνεργείᾳ· οὕτω δὲ καὶ ἡ ψυχὴ τὰ μὲν δυνάμει εἴδη ἐστὶ τὰ δὲ ἐνεργείᾳ. ὅταν μὲν γὰρ ἔχῃ τὴν ἕξιν τῆς αἰσθήσεως καὶ τοῦ νοῦ, μὴ ἐνεργῇ δέ, δυνάμει ἐστὶ τὰ ὄντα, ἐνεργοῦσα δὲ ἐνεργείᾳ ἤδη ἐστὶ τὰ ὄντα.* Ar. disputat contra platonicam intelligendi doctrinam adhibitâ notissimâ illâ potentiae et actûs distinctione. Sicut ipsae res, inquit, intelligibiles et sensibiles id quod sunt aut potentiâ sunt aut actu, ita etiam scientia et sensus aut potentiâ sunt res intelligibiles et sensibiles aut actu. — Cur *τέμνειν* dixit, non *διαιρεῖν*, quod in hac re solemne est? an propter Timaei *τμῆσιν*? — Quod *εἰς τὰ δυνάμει* in *εἰς δυνάμεις* mutavi, item *εἰς τὰ ἐντελεχείᾳ* in *εἰς ἐντελεχείας*, optimorum codicum fidei obtemperavi. Et est profecto cur hoc praestet: distinctius enim sic ideae platonicae ablegantur.

Deinde 27. pro *ταὐτόν* scripsi cum Trend. *ταῦτα*: necesse enim est ut *δυνάμει* vocem ictus feriat, propterea quod mente addendum est: ʽnon *ἐνεργείᾳ*, ut Platonici volunt.ʼ Nisi haec causa esset cur *ταῦτα* praeferremus, *ταὐτόν* sane ferri posset: nemo enim putabit ex Aristotelis sententiâ *τὸ ἐπιστημονικόν* et *τὸ αἰσθητικόν* idem esse, praesertim quum ipse, quid velit, statim addat: *τὸ μὲν ἐπιστημονικὸν τὸ ἐπιστητόν, τὸ δὲ αἰσθητικὸν τὸ αἰσθητόν.* Sic enim codicum vestigia secutus non dubitavi scribere, vel ideo ne oratio graeca non esset. Aut enim ita haec scribenda erant ut nos scripsimus aut sic: *τὸ μὲν τὸ ἐπιστητὸν τὸ δὲ τὸ αἰσθητόν.* At non huc ferebant codicum vestigia.

§ 3. 432ᵃ 8. *ξυνείη*. Quum aoristo opus sit, ex Bekkeri conjecturâ sic scripsi, non *ξυνίοι*: si ista conjectura est vocanda: nam libri *LPS* praebent *ξυνίη*.

§ 3. 432ᵃ 13. *ἢ οὐδὲ ταῦτα φαντάσματα.*] *Ταῦτα* scripsi pro *τἆλλα*, quod libri scripti praebent. Verum suppeditavit Themistius, quamquam non intellexit: scribit enim: *τὰ δὲ ἁπλᾶ καὶ πρῶτα νοήματα τί* (l. *τίνι*) *διοίσει τοῦ μὴ φαντάσματα εἶναι; ἢ οὐδὲ ταῦτα φαντάσματα, ἀλλ᾽ οὐκ ἄνευ φαντασμάτων.* Sententia haec est. Quum (ᵃ 3 sqq.) *τὰ εἴδη τὰ αἰσθητά* sint *ἐν τοῖς αἰσθητοῖς*, item *τὰ εἴδη τὰ νοητά* sint *ἐν τοῖς εἴδεσι τοῖς αἰσθητοῖς*, ut intellectio a sensatione, sensatio a re sensili repetatur, potest haec sententia ita perverti ut negetur intellectionem esse ul-

lam: quod qui faciunt, in historiâ philosophiae vocantur sensualistae: qualis videtur fuisse Protagoras et ceteri qui *τὸ νοεῖν* et *τὸ αἰσθάνεσθαι* idem esse voluerunt: cf 404ª 27—31. 427ª 19—29. Met. *Γ* 4. 5. Haec *θέσις* difficilior est ad tuendum in iis notionibus quae, quum magis sint abstractae et universales, nimis aperte peculiarem illam actionem ostendunt quae est intellectûs: veluti si quis dicat: causa: genus: *τὸ ὄν*: *τὸ ἕν*: remotiora enim sunt a sensatione. Facilius eam tuebitur si quis ad eas solas notiones attendat quae propius a sensibus absunt. *Τὸ πρῶτον νόημα* est prima abstractio, quae fit ubi a repraesentatione (*τῷ φαντάσματι*) ejus quod *τῷ ἀριθμῷ* individuum est (*ὁ τὶς ἄνθρωπος*) transimus ad id quod *τῷ εἴδει* individuum est (*ὁ ἄνθρωπος*): quod discrimen potest rudiorem quemque latere. Cf Met. iota 1. 1052ª 30 sqq. et de cogitando de Mem. 1. 449ᵇ 30 sqq. Vocatur autem *πρῶτον* quia in eo primo *τὸ νοεῖν* apparet. Sic *ἡ ψυχὴ ἡ θρεπτική*, quae dignitate ultima est, *τῇ γενέσει* prima, vocatur *ἡ πρώτη ψυχή*, 416ᵇ 21—22: sic anima definitur *ἐντελέχεια ἡ πρώτη* cet. (h. e. *ὡς ἐπιστήμη*,) 412ª 27. Has igitur primas notiones dubitet aliquis utrum notiones nuncupet an repraesentationes. Sed, inquit, ne hae quidem repraesentationes sunt, quamquam non sunt sine aliqua rei singulae imagine. Necessario igitur legendum est *ταῦτα*: nam si *τἆλλα* scripsisset, h. e. notiones magis a re sensili remotae, (cujus rei supra posuimus exempla,) nihil sequeretur de *πρώτοις νοήμασιν*. Ut enim quae notiones remotiores sunt a rebus sensilibus, eae non sint *φαντάσματα*: nihil obstat, quantum ad hoc, quominus primae notiones sint *φαντάσματα*.

CAPUT NONUM.

§ 3. 432ᵇ 4. Legebatur *καὶ ἄτοπον δὴ τοῦτο διασπᾶν*. Articulus non potest omitti ante *διασπᾶν*: quae enim sequuntur, sic sunt contrahenda: *διασπῶσι γάρ*. Differt non nihil *ἄτοπόν ἐστι διασπᾶν*, ‘absurdum est si quis distrahat,’ ab hoc: *ἄτοπον τὸ διασπᾶν*, ‘absurde faciunt quod distrahunt’. Cf Krüger. Gr. Gr. § 50, 6. not. 3. — Simile argumentum tractatur de Part. An. *Α* 2. — *Τοῦτο* si voluisset addere Ar., scripsisset profecto *τὸ διασπᾶν τοῦτο*, non *τὸ τοῦτο διασπᾶν*: quo positu ictus *τοῦτο* vocem ferit. At nihilo minus absurde fieret si qua alia facultas animae distraheretur.

CAPUT DECIMUM.

§ 1—5. 433ª 9. *φαίνεται*—31. *φανερόν*. Insanabilis videbatur hujus loci confusio, donec intellexi inesse ei particulam quandam bis positam, ita tamen ut simul quidam versus transpositi sint.

Videatur Adnot. Crit. Res per se loquitur: addam tamen universi loci analysin, ut omnis scrupulus eximatur.

a, Post dubitationes in fine capitis noni motas sumit tanquam *ἔνδοξον*, (*φαίνεται δέ γε*,) duo esse principia moventia, appetitum et intellectum, ita tamen ut ad intellectum pertineat quodammodo vis repraesentativa, *ἡ φαντασία*: 433^{a} 9. *φαίνεται* — 13. *ὄρεξις*.

b, Intellectus practicus, (alter enim ab hac re ablegandus,) semper alicujus finis causâ agit: item appetitus. Itaque, quod illud *ἔνδοξον* supposuimus, (*φαίνεται*,) id non sine idoneâ causâ factum est, (*εὐλόγως*): ^{a} 14. *νοῦς*—15. *πᾶσα*. 17. *ὥστε*—18. *πρακτική*.

c, Jam Ar. demonstrabit cur moveat intellectus practicus: quâ re demonstratâ duo principia ad unum revocata erunt. Movet autem intellectus practicus propter intellectionem rei appetibilis: ea enim principium est a quo ratiocinationem orditur: qua in ratiocinatione quod ultimum est, id primum est in agendo atque actionis initium.*) Item phantasia quum movet, semper cum appetitu conjuncta est: 15. *οὗ* — 16. *νοῦ* = 18. *τὸ ὀρεκτὸν* — 20. *ὀρεκτόν*. 16. *τὸ δ' ἔσχατον* — 17. *πράξεως*. 20. *καὶ ἡ φαντασία* — *ὀρέξεως*.

d, Demonstratum est unum esse quod moveat, appetitum. Nam si intellectus et appetitus eandem haberent in movendo dignitatem, deberent intellectus et appetitus esse duae species ejusdem generis motivi. Sed aliter se res habet: nam intellectus nunquam sine appetitu movet, appetitus interdum sine intellectu. Igitur appetitus in movendo summum habet locum: 21. *ἕν* — 26. *ἐστίν*.

e, Demonstratur quid semper recte moveat, quid non semper recte: 26. *νοῦς* — 30. *ἔχειν*.

f, Concludit non duo esse motûs principia, sed unum, appetitum: 30. *ὅτι* — 31. *φανερόν*.

Legebatur 21. *ἓν δή τι τὸ κινοῦν, τὸ ὀρεκτόν*. Scripsi *τὸ ὀρεκτικόν*, propter ea quae his opponuntur: *εἰ γὰρ δύο, νοῦς καὶ ὄρεξις*, (h. e. *τὸ ὀρεκτικόν*,) *ἐκίνουν*. — Deinde 25. recepi *καί* ex Themistii paraphrasi: *ἡ δὲ ὄρεξις κινεῖ καὶ παρὰ τὸν λογισμόν*: non omnis, sed quaedam. In illo *καί* universi argumenti vis sita est, ut eo sublato nulla fiat conclusio. Liber *W* videtur voluisse illud *καί*: sed, quod saepissime fit, alieno loco insertum est, 27. De appetitu non omni irrationali vid. Rhet. *Α* 10. 1369^{a} 1. *τὰ μὲν*

*) Eth. Nic. *Γ* 5. 1112^{b} 15. *θέμενοι τέλος τι, πῶς καὶ διὰ τίνων ἔσται σκοποῦσι, καὶ διὰ πλειόνων μὲν φαινομένου γίνεσθαι διὰ τίνος ῥᾷστα καὶ κάλλιστα ἐπισκοποῦσιν, δι' ἑνὸς δ' ἐπιτελουμένου πῶς διὰ τούτου ἔσται, κἀκεῖνο διὰ τίνος, ἕως ἂν ἔλθωσιν ἐπὶ τὸ πρῶτον αἴτιον, ὃ ἐν τῇ εὑρέσει ἔσχατόν ἐστιν· ὁ γὰρ βουλευόμενος ἔοικε ζητεῖν καὶ ἀναλύειν τὸν εἰρημένον τρόπον ὥσπερ διάγραμμα. φαίνεται δὲ .. τὸ ἔσχατον ἐν τῇ ἀναλύσει πρῶτον εἶναι ἐν τῇ γενέσει.*

δι᾽ ἔθος (int. *πράττουσι*) *τὰ δὲ δι᾽ ὄρεξιν, καὶ τὰ μὲν διὰ λογιστικὴν ὄρεξιν τὰ δὲ δι᾽ ἀλόγιστον. ἔστι δ᾽ ἡ μὲν βούλησις ἀγαθοῦ ὄρεξις,* (*οὐδεὶς γὰρ βούλεται ἀλλ᾽ ἢ ὅταν οἰηθῇ εἶναι ἀγαθόν,*) *ἄλογοι δ᾽ ὀρέξεις ὀργὴ καὶ ἐπιθυμία.*

§ 5. 433ᵃ 31. *τοῖς δὲ* — ᵇ 4. *θυμικόν.* Si quis attente legat universum hoc caput, inveniet his verbis non modo nihil conferri ad eam rem de qua agitur, sed distineri etiam quae necessario conjungenda sunt, ᵃ 30. *ὅτι* — ᵃ 31. *φανερόν* et ᵇ 5. *ἐπεὶ δ᾽ ὀρέξεις γίνονται ἐναντίαι ἀλλήλαις κτἑ.* Sunt autem haec ejusdem argumenti atque ea quae supra legimus, 432ᵃ 22. *ἔχει* — ᵇ 7. *ὄρεξις*: quorum haec videntur prima ac satis jejuna adumbratio esse alieno loco inserta.

§ 7. 433ᵇ 17. Legebatur *κινεῖται γὰρ τὸ κινούμενον ᾗ ὀρέγεται, καὶ ἡ κίνησις ὄρεξίς τίς ἐστιν ᾗ ἐνέργεια.* Quum *τὸ ὀρεκτικόν* et moveat et moveatur, hoc loco noluit Ar. explicare quî moveat: cf 19 — 21: explicavit vero quomodo moveatur. Manifestum autem est non omne *τὸ κινούμενον* etiam *ὀρέγεσθαι*: si lapis jacitur vel cadit, *κινεῖται μέν, ὀρέγεται δ᾽ οὔ.* Ergo non potest universaliter dici *κινεῖται τὸ κινούμενον ᾗ ὀρέγεται*, et necessario scribendum erat *τὸ ὀρεγόμενον ᾗ ὀρέγεται.* — In verbo *ὀρέγεσθαι* non negligendum est genus medium: cf ᵇ 27 — 28. — Deinde jam Trend. emendaverat *καὶ ἡ ὄρεξις κίνησίς τίς ἐστιν*: vid. ejus Comment. Emendandum reliquit *ἡ ἐνεργείᾳ;* de quâ re diximus ad 431ᵃ 12. not.

CAPUT UNDECIMUM.

§ 2. 434ᵃ 10. *καὶ αἴτιον τοῦτο τοῦ δόξαν μὴ δοκεῖν ἔχειν, ὅτι τὴν ἐκ συλλογισμοῦ οὐκ ἔχει, αὕτη δ᾽ ἐκείνην.*] Haec, quae manifesto de brutis animalibus dicta sunt, omni cum reliquis nexu carent: quae enim praecedunt, hominem spectant. Praeterea verba aut corrupta aut mutila sunt, quamquam sententia non est obscura. Eth. Nic. *H* 5. 1147ᵇ 2. *ἡ γὰρ ἐπιθυμία ἐναντία, ἀλλ᾽ οὐχ ἡ δόξα, τῷ ὀρθῷ λόγῳ· ὥστε καὶ διὰ τοῦτο τὰ θηρία οὐκ ἀκρατῆ, ὅτι οὐκ ἔχει τῶν καθόλου ὑπόληψιν, ἀλλὰ τῶν καθ᾽ ἕκαστα φαντασίαν καὶ μνήμην.* Themistius haec: *διόπερ ἡ μὲν τῶν ἀλόγων ζώων ὄρεξις, ὥτε* (l. *ἅτε*) *κινουμένη ὑπὸ ἁπλῆς ἀεὶ φαντασίας, δόξαν οὐκ ἔχει· συλλογισμὸν γὰρ οὐκ ἔχει· ἡ δὲ τῶν λογικῶν ὄρεξις καὶ ἄνευ δόξης καὶ μετὰ δόξης. καὶ ἐντεῦθεν ὄρεξις μὲν οὐχ ἅπασα καὶ βούλησις, βούλησις δὲ πάντως καὶ ὄρεξις*: unde eum suspicetur aliquis haec fere legisse: *καὶ αἴτιον τοῦτο τοῦ δόξαν μὴ δοκεῖν ἔχειν τὰ ἄλλα ζῷα, ὅτι τὴν ἐκ συλλογισμοῦ οὐκ ἔχει ὄρεξιν, αὕτη δ᾽ ἐκείνην.* Ultima sic interpretanda erunt: *ἡ δ᾽ ἐκ συλλογισμοῦ ὄρεξις ἔχει δόξαν.* Haec sen-

tentia, nisi fallor, reprehendi non potest: utrum vero hanc voluerit Ar. an aliam nescio quam, aliis investigandum relinquo. Fateor nihil esse minus elegans his: *μὴ δοκεῖν ἔχειν . . οὐκ ἔχει . . οὐκ ἔχει . . τοῦτο δ᾽ ἐκείνην* (*ἔχει*). Sententiarum nexui optime consuleretur si post [a] 10. *ποιεῖν* continuo legeretur 12. *νικᾷ* . .

§ 2. 434[a] 12. *διὸ τὸ βουλευτικὸν οὐκ ἔχει ἡ ὄρεξις.*] Haec ut aliquem sensum habeant, intelligendum vel etiam scribendum est *ἡ τοιαύτη ὄρεξις*, h. e. *ἡ ἄνευ συλλογισμοῦ.* Nam omnem *ὄρεξιν* consilio carere falsum est: videantur quae ex Rhetoricâ adscripsimus ad 433[a] 25.

§ 3. 434[a] 12. *νικᾷ*—15. *κινεῖσθαι.* Trendelenburgius postquam universam hujus loci sententiam recte explicavit, Sed quomodo, inquit, haec ratio e verbis quae leguntur repetitur? (Comment. p. 540.) Deinde, quum intellexisset mutila esse, *δέ* inserendum suadet, sic: *ἡ δ᾽ ὄρεξις τὴν ὄρεξιν.* Sed haec emendatio locum non persanat. Ad meam emendationem quae habeo commendandam haec sunt. Verba enim 14. *ὅταν ἀκρασία γένηται* necessario videntur esse transponenda ita ut legantur post haec: *νικᾷ δ᾽ ἐνίοτε καὶ κινεῖ τὴν βούλησιν*: ea enim *τοῦ ἀκρατοῦς* descriptio est, non *τοῦ ἀκολάστου.* Quatuor enim sunt, *ὁ ἐγκρατής, ὁ σώφρων, ὁ ἀκρατής, ὁ ἀκόλαστος*: quorum quos tertium et quartum posui ita differunt ut *ὁ ἀκόλαστος* ne velit quidem rationi obtemperare, quum omnes voluptates quaequae sint persequendas sibi putet: *ὁ ἀκρατής* velit quidem, sed interdum propter nimium animi ardorem abripiatur. De *ἀκολάστῳ*, cui opponitur *ὁ σώφρων*, videantur Eth. Nic. *Γ* 13—14, de *ἀκρατεῖ* et *ἐγκρατεῖ* *H* 2—11. De eorum discrimine haec apponam: M. M. *B* 6. 1203[b] 25. *ὁ μὲν γὰρ ἀκρατής ἐστιν οὗ ὁ λόγος τοῖς πάθεσι μάχεται, ὁ δ᾽ ἀκόλαστος οὐ τοιοῦτος, ἀλλ᾽ ὁ τῷ πράττειν τὰ φαῦλα ἅμα τὸν λόγον σύμψηφον ἔχων.* Eth. Nic. *H* 4. 1146[b] 22. *ὁ μὲν γὰρ* (int. *ὁ ἀκόλαστος*) *ἄγεται προαιρούμενος, νομίζων ἀεὶ δεῖν τὸ παρὸν ἡδὺ διώκειν· ὁ δ᾽ οὐκ οἴεται μέν, διώκει δέ.* ibid. 6. 1148[a] 4—10. 16—17. ibid. 11. 1152[a] 4. *ὅμοιοι δὲ καὶ ὁ ἀκρατὴς καὶ ὁ ἀκόλαστος, ἕτερον* (l. *ἕτεροι*) *μὲν ὄντες, ἀμφότεροι δὲ τὰ σωματικὰ ἡδέα διώκουσιν, ἀλλ᾽ ὁ μὲν καὶ οἰόμενος δεῖν, ὁ δ᾽ οὐκ οἰόμενος.* Vides inesse animae *τοῦ ἀκρατοῦς* contentionem quandam et pugnam *τοῦ λόγον ἔχοντος* et *τοῦ ἀλόγου*: ad quam rem illustrandam pertinent Eth. Nic. *Α* 13. 1102[b] 14. *τοῦ γὰρ ἐγκρατοῦς καὶ ἀκρατοῦς τὸν λόγον καὶ τῆς ψυχῆς τὸ λόγον ἔχον ἐπαινοῦμεν· ὀρθῶς γὰρ καὶ ἐπὶ τὰ βέλτιστα παρακαλεῖ. φαίνεται δ᾽ ἐν αὐτοῖς καὶ ἄλλο τι παρὰ τὸν λόγον πεφυκός, ὃ μάχεταί τε καὶ ἀντιτείνει τῷ λόγῳ . . . ἴσως δ᾽ οὐδὲν ἧττον καὶ ἐν τῇ ψυχῇ νομιστέον εἶναί τι παρὰ τὸν λόγον, ἐναντιούμενον τούτῳ καὶ ἀντιβαῖνον.* — E verbis 434[a] 14. *φύσει δ᾽ ἀεὶ ἡ ἄνω*

(int. σφαῖρα) ἀρχικωτέρα καὶ κινεῖ intelligitur Aristotelem videri sibi in hac mentis et appetitûs contentione similitudinem quandam observasse cum motu τῆς ἀπλανοῦς et τῶν πλανητῶν: quamquam non omnia quadrant: nam in caelo fieri non potest ut superior orbis abripiatur et vincatur ab inferioribus. Itaque ne ab iis quidem quae de homine ἀκολάστῳ dicuntur postulandum est ut animae motus motuum caelestium exactam similitudinem referant. Ὁ ἀκόλαστος vero tantum abest ut secundum rationem sibi vivendum intelligat ut omnes voluptates exquirat perfruendasque putet. In eo igitur homine nulla est rationis et appetitûs contentio. Sed appetitus varii sunt ac diversa rerum appetendarum genera: quodsi duo sunt appetitus, duae attrahunt res appetibiles, quam viam tenebit? Οὐ γὰρ δὴ τὴν διαγώνιον· ἀμφοῖν γὰρ ἂν ἀπέτυχεν. Fingamus hominem voluptarium qui idem sit avarus: voluptates quidem expetet, sed alio modo quam homo prodigus vel etiam largus: omnes enim ejus libidines intra angustos cancellos continebuntur quos avaritia circumdedit. Item si homo avarus libidinibus est deditus: non simpliciter avarus erit, sed in quantum sinit libido eoque modo quo illa sinit. Hujus rei ingeniosam sane imaginem astrologia Aristoteli suppeditavit. Novimus enim antiquos singulas stellas errantes singulis orbibus vehi putasse, ita tamen ut quaeque praeter suum ac proprium motum alienum etiam motum in se reciperet alio orbe sibi inditum, sive id fricatione fieri voluerunt sive alio nescio quo modo. Hoc igitur est quod dicit ὥσπερ σφαῖραν σφαῖρα, ἡ ὄρεξις τὴν ὄρεξιν. Causae moventes variae sunt ac diversae: ipsius hominis iter unum, quodque ad calculos vocare possis, modo noris cujusque orbis celeritatem vel, quod idem est, vim cujusque appetitûs.

§ 4. 434ª 16. ἐπεὶ—21. οὔ. Hunc locum utrum emendaverim an alio modo quam erat corruptus corruperim, ipse ignoro. Legebatur enim ἡ δὲ ὅτι τόδε τὸ νῦν τοιόνδε, id quod *E* praebet. Scripsi ex Simplicio ὅτι τόδε τοίνυν τοιόνδε, ut oratio sit directa, ejus qui acturus est. Trendelenburgius censet τὸ νῦν, quod unum idque proximum temporis momentum occupet, consilio praeclare inservire. At certe νῦν scribendum erat cum libris *PX*: τὸ νῦν enim est in praesenti (für jetzt), id quod ab hoc loco alienum videtur. Sed neutrum aptum esse existimo. Homo homini succurrere debet, haec esto propositio major. Quis quaeso ita pergit: Titus in praesenti homo est? vel nunc homo est? Pone alia exempla: hoc in praesenti mel est, vel liber, vel quidvis in praesenti: semper ridiculum erit. Causa ejus rei in eo sita est quod, nisi nunc vera est propositio minor, etiamsi aut fuit vera aut erit, actio, quae conclusionis locum tenet, ex propositionibus non sequitur. Omni homini panis comedendus est: hic homo est, et illud quondam panis erit, vel fuit: nihil sequitur. Poteram ejicere verba de quibus dubitamus cum *LSTUVW*: sed hoc

periculosius etiam visum est. Simplicius certe expressis verbis: *ἔνθα ‛τόδε τοίνυν τοιόνδε᾽ εἶναί φησι.* Themistius rem omittit: *ἡ μὲν γὰρ λέγει ὅτι παντὶ τῷ φιλοσοφοῦντι εὖ ποιητέον, ἡ δὲ ὅτι ἐγὼ δὲ φιλοσοφῶ.*

Deinde suspectum mihi est ἡ *δόξα* in his: 19. *ἤδη αὕτη κινεῖ ἡ δόξα, οὐχ ἡ καθόλου;* Primum enim mirum videtur propositionem minorem vocari *δόξαν*: ejus enim subjectum est res singula, ἡ *δόξα* vero aut semper aut plerumque generalis est: cf Anal. Post. *Α* 33. Quid quod in tantâ copiâ locorum quibus eo vocabulo utitur Ar. unum tantum invenio quo haud dubie de propositione singulari dicatur *δόξα*, idque in iis explicandis quae per somnum apparent, de Somn. 1. 458ᵇ 10—15. coll. 459ᵃ 6—8. Non nego per se recte posse dici *δόξαν* et *δοκεῖν* de re singulari: prima enim horum vocabulorum significatio est *τὸ συγκατατίθεσθαι* et *τὸ ὑπολαμβάνειν*: sed sermonis usus, praecipue philosophorum, huic rei minus favet. In qua re non negligendum est quod hoc enunciatum: illud album est filius Cleonis, non *δόξα* est Aristoteli sed *αἴσθησις*: cf *B* 6. — Deinde vero, ut ἡ *δόξα* in suspicionem mihi veniret, eo imprimis factum est quod ubi eadem res de qua hic agit Ar. diligentius explicatur, Eth. Nic. *H* 3 et 4, ἡ *δόξα* semper de majore propositione dicitur. Neque id casu, sed necessario: nam si etiam minor propositio *δόξα* est, ex iis quae ibi ponuntur nihil omnino sequitur. Legas quaeso ipse. — Quam facile autem ἡ *δόξα* perperam hoc loco potuerit inseri, inde intelligitur quod statim post legitur ἡ *μὲν ἠρεμοῦσα μᾶλλον*: at ἡ *μέν* est propositio major, id quod addito in margine ἡ *δόξα* facile poterat aliquis significare.

Porro post ἡ *καθόλου* (20.) interrogationis signum posui, ut haec verba constanti Aristotelis consuetudini accommodarem. Philoponus: *ἐν ἀπορίᾳ* inquit *ἆρα αὕτη ἡ δόξα ἡ τῆς ἐλάττονος κινεῖ καὶ οὐχ ἡ καθόλου πρότασις; εἶτα ἐπιλυόμενός φησιν· ἢ ἄμφω.* Item Themistius quae paulo supra exscripsi sic continuat: *τίς ἄρα τοῦ κινεῖσθαι κυρία; ἆρα ἡ ἐν μέρει, ἢ ἡ καθόλου, ἢ ἄμφω; ἄμφω μὲν οὖν, ἀλλ᾽ ἡ μὲν ἠρεμοῦσα μᾶλλον, ἡ δὲ τῇ κινήσει συνάπτουσα· τὸ γὰρ συμπέρασμα κατ᾽ ἐκείνην· ἐμοὶ τοίνυν τόδε πρακτέον. καὶ εὐθὺς κινεῖται ἂν μή τι κωλύῃ.* Quod dicit ἡ *δὲ τῇ κινήσει συνάπτουσα,* fallitur. Aristoteles enim hoc dicit: propositio minor majore facilius *μεταπίπτει*: in singulis enim rebus spectatur motio et alteratio et interitus.

CAPUT DUODECIMUM.

§ 1. 434ᵃ 23. Quae optimos codices secuti restituimus *καὶ ψυχὴν ἔχει ἀπὸ γενέσεως καὶ μέχρι φθορᾶς* hanc praebent sententiam: non solum necesse est omne quod vivat animam habeat

nutritivam, sed falluntur etiam qui Orphicis dogmatis addicti putant tunc demum ubi primum spiritum ducant ingredi animalia animam. Cf 410[b] 28—30. Similis est controversia creatianismi quem vocant et traducianismi.

§ 2. 434[a] 28. *οὔτε ἄνευ ταύτης οἷόν τε οὐθὲν εἶναι ζῷον.*] Haec tanquam spuria uncis inclusimus, praecipiente Trendelenburgio: videatur ejus Comment. Legit Simplicius: Philoponus ita tacet ut non legisse certum sit.

§ 3. 434[a] 32. *εἰ οὖν πᾶν σῶμα πορευτικὸν μὴ ἔχον αἴσθησιν,* .. Enunciatum ne verbo suo careat, emendant *ἔχοι*: minus accurate. Quod enim Ar. tanquam *ἐνδεχόμενον* positum deinde refellit, non hoc est, omne animal *πορευτικόν* sensu carere, id quod experientiâ doctus nullus unquam credidit, sed quaedam esse animalia *πορευτικά* sensu carentia. Igitur in locum vocis *πᾶν* substituendum proponimus vel *γένοιτο* vel *εἴη*. *ΓΕΝ*(*οιτο*), *ΠΕΝ*, *ΠΑΝ*. Simillimae sunt *Γ* et *Π*. Nonnulla vero in hac libri parte a librariis vix potuisse legi demonstrant *EL*, qui [a] 14. *γENHται* mutarunt in *ENH*.

§ 3. 434[b] 2. Quaeritur utrum scribendum sit *ὑπάρχει τὸ ὅθεν πεφύκασιν*, an *ὑπάρχει τοῦτο ὅθεν πεφύκασιν*. Bekkerus illud elegit, Trendelenburgius hoc, isque voluit *τοῦτο* esse *τὴν τροφήν*. Quod si verum esset, haud scio an praestaret ex duabus lectionibus unam conflare, sic: *ὑπάρχει τοῦτο τὸ ὅθεν πεφύκασιν*, h. e. *ἡ γῆ ὑπάρχει αὐτοῖς τροφή*. Sed *ὑπάρχει* non ubique est esse simpliciter: multis locis est *ἀρχή ἐστιν*. Servavi igitur *ὑπάρχει τὸ ὅθεν πεφύκασιν*, h. e. *ἡ γῆ ἐστὶν αὐτοῖς ἀρχὴ τοῦ τρέφεσθαι, ἀρχὴ δ' οὕτως ὡς ὕλη*. Cf de Coelo *B* 14. 297[b] 21. *δεῖ δ' ἕκαστον λέγειν τοιοῦτον εἶναι ὃ φύσει βούλεται εἶναι καὶ ὃ ὑπάρχει*. Phys. *Z* 5. 236[a] 10. *τὸ μὲν οὖν κατὰ τὸ τέλος τῆς μεταβολῆς πρῶτον λεγόμενον ὑπάρχει τε καὶ ἔστιν*.

§ 4. 434[b] 3. *οὐχ οἷόν τε*—8. *αἰσθήσεως*. Ratio reddenda est cur et 4. *ἀλλὰ μὴν οὐδὲ ἀγένητον* pro spuriis damnaverim et 5. retinuerim verba *διὰ τί γὰρ ἕξει* omisso illo *οὐχ* quod quidam addunt.

Quod sibi demonstrandum sumsit Ar. in conclusione sic dicit, 7: *οὐθὲν ἄρα ἔχει ψυχὴν σῶμα μὴ μόνιμον ἄνευ αἰσθήσεως*, h. e. exceptis plantis nullum est corpus quod animam habeat, nisi etiam sensum habeat. Haec in mentem revocant quae 415[a] 8. legimus: *οἷς μὲν γὰρ ὑπάρχει λογισμὸς τῶν φθαρτῶν, τούτοις καὶ τὰ λοιπὰ πάντα, οἷς δ' ἐκείνων ἕκαστον, οὐ πᾶσι λογισμός*: sicut enim illic additis verbis *τῶν φθαρτῶν*, ita nunc verbis *γενητὸν δέ* excipit corpora caelestia, de quorum animâ in universis his libris Ar. aperte nusquam tradit. Dicit igitur: *διὰ τί γὰρ ἕξει;* int. *νοῦν κριτικόν*: h. e. quem ad finem corpus quod nec plantae est

nec sideris, (de his enim non agitur,) quum careat sensu, animam habeat et intelligentiam ad res oblatas discernendas? Ponamus enim, quod negamus, carere sensu, praeditum esse intelligentiâ, aut profecto ea animam juvabit aut corpus, (*ἢ τῇ ψυχῇ βέλτιον ἢ τῷ σώματι*). At neutrum verum est, (*νῦν δ' οὐδέτερον*). Si animam dicis juvari intelligentiâ, falleris: nihilo enim magis intelliget, (*ἡ μὲν γὰρ οὐ μᾶλλον νοήσει*), sive habet sive non habet intellectum: sensum enim non habet, at nihil est in intellectu quod non fuerit in sensu: 432[a] 7. *καὶ διὰ τοῦτο . . μὴ αἰσθανόμενος μηθὲν οὐθὲν ἂν μάθοι οὐδὲ ξυνείη.* de Sensu et Sens. 6. 445[b] 15. *τίνι κρινοῦμεν ταῦτα ἢ γνωσόμεθα; ἢ τῷ νῷ. ἀλλ' οὐ νοητά, οὐδὲ νοεῖ ὁ νοῦς τὰ ἐκτὸς μὴ μετ' αἰσθήσεως ὄντα.* Sin corpus putas intellectu juvari, iterum falleris: corpus enim nihilo magis vitam suam (cf [b] 14 et 26. *εἰ μέλλει σώζεσθαι τὸ ζῷον* et 17. *ἀδύνατον ἔσται σώζεσθαι τὸ ζῷον*) servabit, (*τὸ δ' οὐθὲν ἔσται μᾶλλον*), propterea quod in intellectu practico minor propositio semper singulas res sibi subjicit (434[a] 16—21): at harum cognitione privata erit, siquidem sensu caret. (Cf de Sensu et Sens. 1. 436[b] 18—437[a] 3.)

Artus hic sententiarum nexus demonstrat verbis *ἀλλὰ μὴν οὐδὲ ἀγένητον*, quae Simplicio auctore in quibusdam libris non inveniebantur, locum non esse: sin minus, eveniet ut quae sequuntur de sideribus dicta sint: quo facto vix violentissimis interpretum rationibus aliqua sententiae species potest extorqueri.

Quae si cui non sufficiunt, alteram addamus rationem. Ponamus verba illa *ἀλλὰ μὴν οὐδὲ ἀγένητον* ab Aristotele esse scripta. Omne corpus animatum aut *γενητόν* est aut *ἀγένητον*: ut conjuncta illa universum corporis animati genus componant. Jam quum Ar. demonstraturus sit exceptis plantis omne corpus animatum sensu esse praeditum, sive *γενητόν* est sive *ἀγένητον*, tota haec divisio *μάτην* erit et supervacanea, ne dicam ridicula. Quis enim sic loquitur: omnis homo, sive albus est sive non albus, mortalis est? Non esset vana divisio si sic pergeret Ar.: *εἰ μὲν γὰρ γενητόν, τοδὶ ὑπάρξει, εἰ δ' ἀγένητον, τοδί.* Sed ut nunc res est, si verba illa ab Aristotele sunt scripta, fatendum erit institutam divisionem nihil ad rem facere.

Eundem ad finem pervenitur sic. Si verba quae impugnamus genuina sunt, sequitur ut sidera aut utroque praedita sint, et intellectu et sensu, aut neutro. Jam omnes concedunt ex Aristotelis sententiâ sidera intellectu esse praedita. Ergo habebunt etiam sensum. At sensu sidera non esse praedita vel ex iis consequitur quae proxime antecedunt: dixit enim 434[a] 27. *οὔτε γὰρ ὅσων τὸ σῶμα ἁπλοῦν, ἐνδέχεται ἁφὴν ἔχειν.* Pugnant igitur verba illa suspecta cum placitis aristoteleis.

Ἀλλά vocabulum quantopere adamaverint interpolatores docuimus ad 420ᵇ 11: et hic ipse locus exemplis ibi congestis addi potest.

Reliquum est ut quaeratur, primum, qui philosophi docuerint esse quaedam corpora quae quum sensu careant gaudeant intellectu: hanc enim sententiam refutat Aristoteles: deinde, cui sectae addictus fuerit interpolator, h. e. qui philosophi voluerint aut utrâque facultate sidera esse praedita aut neutrâ. Quas res aliis investigandas relinquo: nam quae habeo, ipsi mihi non sufficiunt.

Quod vero Plutarchus Atheniensis ap. Simpl. et Philop. legit *διὰ τί γὰρ οὐχ ἕξει*, id quod etiamnum in quibusdam Aristotelis libris extat, id interpretatione nititur manifesto falsâ: putabant enim *αἴσθησιν* dici, sic: *διὰ τί γὰρ οὐχ ἕξει* (*αἴσθησιν*); *ἢ γὰρ τῇ ψυχῇ βέλτιον* (*τὸ μὴ ἔχειν αἴσθησιν*) *κτλ.* (De negatione iterum impudentissime additâ diximus ad 430ᵃ 22.)

Videndum est etiam de verbis ᵇ 6. *νῦν δ᾽ οὐδέτερον.* Ferri posse non nego, modo mente addatur *ἀληθές* vel *οἷόν τε.* Praeferendum tamen esset, si id aliquis codex haberet, *νῦν δ᾽ οὐδετέρῳ*, int. *βέλτιον.*

Ceterum non dubitavi scribere 4. *γενητόν*, sicuti etiam 5. *ἀγένητον* habet Simplicius. *Γενητόν* est *ὃ γέγονεν*, *γεννητόν* est *ὃ ἐγεννήθη.* Sidera ridiculum est dicere *μὴ γεννηθῆναι.* Quam frequenter haec vocabula a librariis confundantur, intelligitur ex Adnotatione Bekkeri Criticâ, ex gr. ad 277ᵇ 28. 279ᵇ 5. 280ᵃ 29. ᵇ 6. 282ᵃ 25. ᵇ 3. 6. 11.

§ 9. 434ᵇ 29. *ὥσπερ*—435ᵃ 10. *πέρατος.* Necesse est animalia non solum eo quod tangunt sed etiam procul sentiant: id autem fiet si id quod inter objectum et sensorium medium interpositum est et patiendi et agendi vices sustinet, ut patiatur ab objecto, agat in sensorium. Patitur autem et agit per alterationem. Explicat hanc sententiam Ar. eo patiendi et agendi genere quod fit per loco motionem: haec enim nobis notior est alteratione. Si in lineâ rectâ plures pilae positae sunt, si primam pellis, secundam illa feriet, haec tertiam, et sic porro. Idem in alteratione fit, nisi quod particulae locum non mutant. Color agit in proximas aëris particulas, hae in vicinas, et sic porro: ultimae in superficiem oculi agunt, superficies in interiores oculi partes, quae sentiunt. Ad eandem rem illustrandam Ar. utitur sigilli et cerae exemplo: oculus ita afficitur ut charta afficeretur si cera non solum in superficie sed usque ad confinium cerae et chartae per sigillum fingeretur. Si Ar. novisset photographiam quam vocamus, hoc fortasse usus esset exemplo.

Jam demonstrandum est quomodo hic locus sit legendus. Legebatur 434ᵇ 30. *ὥσπερ γὰρ τὸ κινοῦν κατὰ τόπον μέχρι τοῦ*

μεταβάλλειν ποιεῖ: scripsi *μέχρι του*, violatâ encliticarum regulâ quam et Bekkerus et alii plurimi sibi scripserunt.*) Recte Sophonias *μέχρι τινός*. Phys. *Θ* 5. 256b 14. *τρία γὰρ ἀνάγκη εἶναι, τό τε κινούμενον καὶ τὸ κινοῦν καὶ τὸ ᾧ κινεῖ. τὸ μὲν οὖν κινούμενον ἀνάγκη μὲν κινεῖσθαι, κινεῖν δ' οὐκ ἀνάγκη, τὸ δ' ᾧ κινεῖ, καὶ κινεῖν καὶ κινεῖσθαι· συμμεταβάλλει γὰρ τοῦτο ἅμα καὶ κατὰ τὸ αὐτὸ τῷ κινουμένῳ ὄν. δῆλον δ' ἐπὶ τῶν κατὰ τόπον κινούντων· ἅπτεσθαι γὰρ ἀλλήλων ἀνάγκη μέχρι τινός. τὸ δὲ κινοῦν οὕτως ὥστ' εἶναι μὴ ᾧ κινεῖ, ἀκίνητον.*

Deinde b 31. de eo quod inter rem moventem et rem motam medium interjectum est quodque diximus et patiendi et agendi vices suscipere, de eo male dicitur *καὶ τὸ ὦσαν ἕτερον ποιεῖ ὥστε ὠθεῖν*, 'et res quae pepulit in causâ est ut alia res pellat.': manifesto enim legendum est 'res pulsa', *τὸ ὠσθέν*. Si B ab A, C a B, D a C . . . movetur, A movet, non movetur, M (hoc enim *τὸ ἔσχατον* esto) movetur, non movet, quae media interjecta sunt, et moventur et movent. Ergo de B, C, D . . . recte pronunciatur hoc: *τὸ ὠσθὲν ἕτερον ποιεῖ ὥστε ὠθεῖν*. Ridicule profecto *τὸ ὦσαν*: nam postquam pepulit, non jam pellit: debebat saltem scribere interpolator *καὶ ὠθοῦν ἕτερον ποιεῖ ὥστε ὠθεῖν*. — Sed cur *ὠσθέν* in *ὦσαν* mutavit antiquus diorthota? hoc enim doctius est quam quod a librario oriatur. Causa est quod putabat ille de tribus corporibus loqui Aristotelem: nam si tria sunt, nullum invenitur quod, quum pellatur, alii corpori in causâ sit ut et pellatur et pellat, vel quod *ὠσθὲν ἕτερον ποιεῖ ὥστε ὠθεῖν*. Neglexit ille quod 435a 1. dicit Ar. *πολλὰ δὲ μέσα*. Idem homo videtur fuisse ille qui 434b 31. verba *καὶ ἔστι ταῦτα διὰ μέσου* pessime depravavit: sic enim haud dubie legendum est. *Ταῦτα* refertur ad *τὸ ὠσθέν* et *ἕτερον*: utrumque enim et movetur et movet ipsum. Quod ille scripsit, *καὶ ἔστι διὰ μέσου ἡ κίνησις*, id nimis absurdum est. Agitur enim de medio, *τῷ μεταξύ*, b 28, idque corporeum est et ex multis corporibus constat, et sicut extrema sunt corpora, (dico autem objectum et sensorium), ita etiam quod in medio positum est. Quod hic *διὰ μέσου*, id b 33. vocatur *τὸ μέσον*, et medium illud et movere et moveri dicitur, *τὸ δὲ μέσον ἄμφω*. Manifesto igitur corpus est. Nam si medium illud esset *ἡ κίνησις*, haberemus *κίνησιν κινουμένην*. Sed motio non movetur, *οὐκ ἔστι κινήσεως κίνησις*, Phys. *E* 2. 225b 15.

Deinde b 32. scripsi ex codice *W*, quod simplicissimum videbatur et aptissimum esse, *καὶ τὸ μὲν πρῶτον*. Quod libri hunc

---

*) Quamquam crediderim hunc locum minus esse a Bekkero intellectum: nam alio loco huic simillimo ipse scribit *μέχρι του*: de Somno et Vig. 3. 456b 20. *ἀναγκαῖον γὰρ τὸ ἀναθυμιώμενον μέχρι του ὠθεῖσθαι.*

locum tantopere variant, id propterea videtur accidisse quod perperam huc erat illatum illud *δή* quod ponendum erat 435[a] 1. *οὕτω δὴ ἐπ' ἀλλοιώσεως*.

In eodem versu *κινοῦν* vel, quod *L* praebet, *κινεῖ καί*, non modo supervacaneum est sed importunum: longe aliud enim est *τὸ πρῶτον κινοῦν*, Met. *Λ* 7 et Phys. *Θ* passim.

Porro 435[a] 1. in verbis *οὕτως ἐπ' ἀλλοιώσεως* desiderari *δή* paulo supra dictum est. Post protasin longius extractam nimis debile videtur simplex illud *οὕτως*.

Deinde [a] 1. *μένοντος* scripsi cum Bekkero: intellige *τοῦ μέσου*. Cf Waitz. Organ. I p. 493: quibus adde de Sensu et Sens. 5. 444[a] 27.

Denique [a] 5. verba *περὶ ἀνακλάσεως* cancellis sepsi: videntur enim in margine scripta fuisse ad indicandum argumentum, (cujusmodi tituli in libris scriptis inveniuntur multi,) deinde librariorum errore in textum invecta. Cf 1369[a] 2, A[c]. Ferri non possunt, propterea quod non id demonstrat Ar., *τῆς ἀνακλάσεως* alterum modum alteri esse praeferendum, sed *ἀνάκλασιν* in hac re omnino negat esse.

CAPUT TERTIUM DECIMUM.

§ 3. 435[b] 24. Linguae in recensendis sensibus locus non est: [b] 19. *τὰς δ' ἄλλας αἰσθήσεις* (praeter tactum) *ἔχει τὸ ζῷον .. οἷον ὄψιν .. γεῦσιν .. ἀκοὴν .. γλῶτταν ..* Hoc additamentum natum videtur e verbis praecedentibus corruptis: legebant enim [b] 24. *ἀκοὴν δὲ ὅπως σημαίνῃ τι αὐτῷ*: quibus respondere videbatur *ὅπως σημαίνῃ τι ἑτέρῳ*. At non ideo auditu praedita sunt animalia ut sibi quodque aliquid significet, sed ut intelligant quae ab aliis iis significantur: *ὅπως σημαίνηται αὐτῷ*: id quod codicem *L* secuti restituimus. De re cf de Sensu et Sensili 1, post med.

FINIS.

Berolini apud Weidmannos (K. Reimer).

Typis Caroli Schultzii.

